BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 F
14

C.G.6.

a. a. 2



GEORGII SCHARPII INSTITVTIONES MEDICAE

A CLAVDIO eiusdem filio in lucem editę

ET ILL.MO BONONIAE SENATVI DICATAE

Bonomię Typis Iacobi Monti. 1638.

Superiorum permiſſu.

Cornelio Francescucci

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

GEORGII SCHARPII SCOTI

Conſiliarij Regis Chriſtianiſsimi

Profeſsoris, & Vicecancellarij in Monſpelienſium Medicinæ Academia Bononiæ Doctoris Eminentis.

INSTITVTIONVM MEDICARVM

PARS PRIMA

A CLAVDIO AVTHORIS FILIO
Philoſopho, Medico, & Bononiæ Profeſſore
in lucem edita.

de Scala

ILLVSTRISSIMO

BONON. SENATVI

DICATA.

BONONIAE, apud Iacobum Montium. 1638.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google



GEORGIVS SCHARPIVS PHILOSOPHVS ET MEDICVS
natione Scotus, Regis Christianissimi Consiliarius, et in Academia Monspelij Professor, et uice Cancellarius, nec non in Bononiensi Archigymnasio Eminens Medicinę Doctor ætat. suæ LVII *Io: Bapt. Coriolanus f.*

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
BONONIAE
SENATVI

CLAVDIVS SCHARPIVS S. D.

IMpatiens moræ Magnum hoc veſtræ liberalitatis, (Illuſtriſs. Sen.) etiam ſi paruum obſequij mei ſpecimen diutius proferre nec potui, nec debui. Subpar fateor, & meritis veſtris, & ſummæ, quæ, nullo niſi ingenitæ benignitatis ſuaſu, me affeciſtis gratiæ, etſi non indignum nomine liceat dicere, tanti patris opuſculum: Enim vero ipſe Conſilium cœperat totam in Compendium redactã Typis mandare artem ἰατρικὴν quam iam a longo tempore dicarat vobis animus non ingratus dicam ne, an potius ipſamet veſtra beneficentia neſcio? Ita ut ſacrando nunc vobis ſolum operis priincipium, nec meum, nec omne quod veſtrũ

eſt offeram. Sed mea non eſt culpa: parcite ſi vos incuſare audeam, qui lecturam in me ſupra vires conferendo, ſpem vincentibus (haud diſsimile Æterni benefactoris exemplar) ſtipendijs inſignitam, effeciſtis, vt dum huic pro viribus ſatisfacere contendo, debito deſitiam ſit neceſſe: addo quod certè nimis pudebat huic altari tam pauca reponere, in quo propitium adeo reperij Numen. At quid vereor? ne fortè partum reijciatis, cuius Genitorem tam inſigni munificentia à vobis accitum fuiſſe nemo ignorat? abſit: ibit ergo poſthumus iſte tanta Superbus clientela, eademq; grandior dein factus totum orbem veſtra adimplebit generoſitatis: nec morſus timebit inuidia, contra quā parentem dum viueret, ardenter adeò ſuſtinuit hac eadem generoſitas, ſuperſtitem familiam ita piè ſuſtinet, illumque haud dubiè non minus ſuſtinebit.

IN

IN MEDICAS INSTITVTIONES
EXCELLENTISSIMI DOCTORIS
GEORGII SCHARPII
SCOTI

Medicinam Bononiæ in Eminenti Cathedra publicè profitentis.

SCIPIONIS A GRANDIMONTE.

CARMEN.

EFfoſſum vt vidit Scharpi Libitina Sepulchrũ,
Riſit, & ad Parcas talia verba dedit.
Ampla Seges nũc mortis erit; gaudete Sorores
Doctor obit, veſtrę certa ruina domus
Nunc animæ plenis venient ad nota quadrigis
Littora, quas canus trans Styga vector agit.
Nec ſolitam poſthac apto medicamine prędam,
Eripiet Scoti menſq; manusq; Senis;
Dixerat; at vixdum dias in luminis oras
Ingenij partus poſthumus iſte venit.
Nil ait effeci: Medicinæ namque medelam
Pęoniumque decus continet iſte liber
Viuit adhuc chartiſque diu ſpirabit in iſtis
Scharpius, atque ęgris porrigit inde manum.

Hic

Digitized by Google

Hic tumulũ inueniet tumulo nũc parcat & Victor
Nati denato nec monumenta parent:
Nam quæ ſunt alijs certę documenta ſalutis
Hæc eadem auctori ſunt monumenta ſuo.
Profuit vt viuens ſic prodeſt mortuus orbi;
Namq; relinquit opem quando relinquit opus.

GEORGIO SCHARPIO.

GEorgium dat Scotia,
Stupet loquentem Gallia,
Colit medentem Felſina,
Tandem repoſcunt ſidera.
Scharpi, nequibas altius
Subſellium conſcendere,
Ex quo docentis aurea
Præcepta mundus audiat.

Amico benemer.
Andreas Mariani.

PRAE-

PRÆFATIO

In Artem Medicam.

MIRATVR, & indignante fert animo Plinius, nullam artium incoſtantiorem fuiſſe Medicina, & etiamnum ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla. Cuius cauſam pœnitiore mentis indagine perſcrutanti, ſubijt mihi neceſſitas artis, & quo eam aſſequimur labor: Illa multorum animos in artis nobiliſſimæ, generiq; humano neceſſariæ impulit amplexus: hic non vnam, eandemq; ſed diuerſam, & multiplicem incedendi viam,

peruenienda; ad artis perfectionem, rationem excogitauit. Vnde tam variæ, & multiplices medicorum ſectæ, quæ florente Galeno tres præſertim celebres fuerunt: vna Dogmaticorum, Empyricorum altera, & tertia Methodicorum. Qui omnes ſcopum artis, ſanitatem, finem verò, ſanitatis poſſeſſionem conſtituerunt: atq; Medicinam definientes ſalubrium, & inſalubrium ſcientiam, contendunt ea omnia Medico cognitu neceſſaria eſſe, quibus vel morbos abigendo recuperamus abſentem, vel cauſarum inſalubrium vim euitando, præſentem conſeruamus ſanitatem: hoc per ſalubrem victus rationem, illud per legitimam remediorum, & auxiliorum adminiſtrationem fieri, vnanimi conſenſu, fatentur, de modo quo horum cognitio comparanda ſit, non parum inter ſe diſſidentes. Qui enim ex antiquiſsima Empyricorum exierunt diatribe, artis vniuerſæ notitiam inniti volunt experientiæ, eademq; cognoſci, quæcunq; morbis curandis, ſanitatiq; conſeruandæ conducunt. Experientiam aſpernantes Methodici, ad indicationem confugiunt à morbis deſumptam, eam ſolam inueniendis, morborum curationi, conſeruationiq; ſanitatis,

tatis, vtilibus, ſufficere putantes: à morbis, inquam, deſumptam, non ſigillatim ſcrutando ſpecies, & differentias quaſq; ſed penes quaſdam communitates: bina nimirum morborum genera, quæ in pororum latitudine, & anguſtia conſiſtere ſomniarunt. Dogmatici deniq; qui, & rationales appellantur, experientiam, & rationem veluti totidem crura, & pedamenta Medicinæ conſtituunt, eandemq; horum alterutro deſtitutam, claudam, & mutilam incedere arbitrantur. Author, & inuentor huius ſectæ fuit ſummus ille Hippocrates, qui rationis ductu, & multiplicibus experientijs in Apollinis templo, vt nonnulli credunt, magnorum virorum ſolertia de generis humani ſalute ſollicitorum, conſeruatis, ſaluberrima confecit artis præcepta, idque tam fœliciter, vt diuinum quodam numen in artem ea conſignaſſe videatur. Multa præterea memoriæ monumentis reliquit experimenta, ex quibus, ſimul & ex vniuerſalibus ab eodem iactis fundamentis, non tantum arti perfectionem impertitus eſt Galenus, verum etiam eandem tam perſpicuis illuſtrauit commentarijs, vt nulla ſit amplius Hippo-

crati querimoniæ cauſa de artis noſtræ prolixitate, difficultate, ac vitæ bræuitate. Verùm enim verò tanta eſt humani ingenij volubilitas, & in contradicendo ſtudium, vt nihil præter nouum placere putet: quo fit vt etiam nonnulli hoc noſtro ſæculo nouitate famam aucupantes, ægrorum animos negotiari nunquam deſinant, & ipſam medicinam dogmaticam in diuerſas opiniones diſtrahere. Paracelſi ſiquidem ſectatores, fictitijs, & commentitijs quibuſdam theſibus (ad tegendas quas effutiunt ineptias) inuſitato ſermone, vera, & ſolida artis fundamenta ſubuertere conantur: vt potius pſeudodogmatici, quam dogmatici ſint nominandi. Alij Hippocratem, & Galenum errorum, & defectuum reos agere nunquam ceſſant: alij contrà illorum doctrinæ adeo mordicus adhærent, vt nihil docendum aut faciendum exiſtiment, quod ab Hippocrate, & Galeno factum, & edoctum non fuerit: ac ſi nefas eſſet, aut contradicere, aut ſupra illos ſapere. Hi tamen minimè inter ſe conſentiunt: ſed vnuſquiſq; pro libitu dictorum Authorum dogmata interpretatur, eademque in eum quē imaginatur ſenſum diſtorquet:

Hi

Hi duplici nomine mea quidem ſententia reprehendendi ſunt. Primò quod præparandorum medicamentorum rationem à Spagyricis introductam, & quotidiana confirmatam experientia, quod Hippocrati, & Galeno fuerit incognita, pœnitus damnent. Iecerunt quidem heroes illi vniuerſa artis fundamenta, & de remediorum præparatione luculenter diſſeruerunt: ſed hoc tamen contendimus, illam artis partem, quæ circa remediorum inuentionem, & præparationem verſatur nunquam ad tantam peruenturam perfectionem; quin vlteriorem recipere poſſit. quæ tamen perfectio non tam facit ad artis conſtitutionem, quam ad ornatum, maioremq; efficaciam, & ſplendorem. Deinde digni ſunt reprehenſione, quod in conciliandis, quæ inter ſe pugnare videntur authoritatibus, ignoratis ſæpe numero principijs, ſine fructu laborent, tempuſq; rebus ſerijs impendendum, quæſtiuncularum terant nugamentis.

Nos ad hunc errorem euitandum, vniuerſa, Medicinæ principia, fundamenta, & theoremata breui, ſed perſpicua methodo comprehendemus, poſtmodum præcipuas, quæ in

ſingu-

Digitized by Google

ſingulis artis partibus exagitari ſolent quæſtiones expoſituri: imo in ipſa doctrina poſitiua, ſuccinctis quibuſdam deciſionibus, difficultates maioris momenti diluemus.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI DE PHYSOLOGIA.

CAP. I.

Quid, & quotuplex medicina, & quo modo à ſe differant Authorum ſectæ.

MEDICINAM artem curandi ſi nomen ſpectemus medendiq; peritiam ab effectu definit Hippocrates, libro de flatibus, adiectionem, & detractionem, quod deficientia corporibus adiiciat, & ſubſtrahat redundantia: ἰατρικὴ ἐςι (Inquit) προσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, προσθεσις δὲ τῶν ἐλλιπόντων: Quibus, exceſſum, & defectum ſubſtantiæ quantitatis, qualitatis, & rei cuiuslibet alterius intelligit. A ſubiecto deſcribitur, capite

Definitio Medicinæ a nomine.

A ſubiecto.

pite

pite ſecundo artis paruæ, ſalubrium, inſalubriū, & neutrorum ſcientia: vbi docet Galenus ſe nomen ſcientiæ fuſiori vocis ſignificatu pro diſciplina qualibet vſurpare. Auerroes capite 1. libri 1. colliget, habita ratione cauſæ formalis, efficientis, & finalias, vult Medicinam eſſe artem operatricem, experientia, & ratione, inuentam, qua ſanitas conſeruatur, & abigitur ægritudo; vbi artis nomine diſciplinam intelligit, alioquin tautologa eſſet definitio, cum ars omnis proprie loquendo, ſit operatrix. definitionem perfectam, omnibuſq; ſuis numeris abſolutam (ſaltem in ſuo genere) ſic conficies. Medicina eſt ars experientia, & ratione inuenta, qua corpus humanum, prout capax eſt ſanitatis, morbi, & ſtatus neutrius, dignoſcitur: vt conſeruetur ſanitas, curetur morbus, & neuter ſtatus reducatur. Hæc definitio non ſolum omnes medicinæ cauſas complectitur, formalem, ſcilicet artem, materiam in qua, ſeu ſubiectum operationis, corpus humanum, materiam circa quam, ſeu obiectum, quod ſubiectum appellare licet, triplicem ſtatum humani corporis, ſanum, ægrum, & neutrum, ſub quo ſigna cauſaſq; omnes, conſeruatrices, effectrices, & reductrices compræhendit

Perfecta Medicinæ definitio.

hendit: efficiẽtem rationem, & experientiam: & denique finalem conſeruationem ſanitatis, curationem morbi,& ſtatus neutrius reductionem: verum etiam perfectam,& facilem nobis præbet totius artis diuiſionem; ex qua ſimul,& ex tradita definitione illuſtre, & perſpicuum euadit, quomodo diſtinguatur, ab aliis ſectis, quam ſequimur dogmaticorum diſciplina: Porro tota Medicina in theoricam, & practicam diuiditur; per hanc conſeruatur ſanitas, morbus abigitur,& reducitur neuter ſtatus,per illam dignoſcuntur principia, & affectiones corporis humani, prout ſuſceptiuum eſt triplicis ſtatus jam dicti: Speculatiua rurſus ſubdiuiditur in Phyſiologiam, Pathologiam, & Semeioticem. Phyſiologia,ſic dicta, quod rerum naturalium explicationem contineat, eorum omnium notitiam tradit, quę ad conſtitutionem naturalem corporis humani concurrunt: Pathologia, ſic dicta, quod τῶν πάθων, ſeu paſſionum doctrinam complectatur,morborum, cauſarum, ſymptomatum, quæ conrra naturam homini accidunt, explicationem abundè nobis exibet: vt Semiotice, ſeu doctrina de ſignis, ſignorum, quibus triplex ſtatus corporis humani dignoſcatur, perfectam cognitio-

Duiſio totius Medicinæ.

nem. Medicina etiam practica ſuam habet ſubdiuiſionem, qua in conſeruatiuam, & curatiuam ſecatur: hac morbos expugnamus, illa conſeruamus ſanitatem: hæc Therapeutica nominatur, ſub qua Chirurgia, & Pharmacia compræhenduntur: illa Græcis ὑγιεινὴ dicitur. διαιτητικὴ, ſeu victus ratio, quę ſex rerum non naturalium, aeris ſcilicet ambientis, motus, & quietis, potus, & cibi, ſomni, & vigiliæ, excretorum, & retentorum, & animi pathematum moderationem præſcribit; communis eſt ὑγιεινῆ, & θεραπευτικῆ; ac ob id nullam particularem artis particulam conſtituit; vt & nec προφυλακτικὴ, & ἀναληπτικὴ, quarum, hæc conualeſcentiæ, illa neutri decidentiæ ſtatui prouidet: quæ vtraq; ex iis quæ dicentur de morborum curatione, & conſeruatione ſanitatis innoteſcet: cum cognitis extremis medium facillimè dignoſcatur. hinc patet quantum diſtet, quam ſequimur dogmaticorum doctrina, ab Empiricorum, & methodicorum placitis. Non enim vt Empirici ſolam ſymptomatum ſyndromen, & concurſum inſpicientes, ignoto pathemate, & illius cauſa, curationem inſtituunt, eandemq; moliuntur, vſu remediorum ſola experientia cognitorum, ſiue experientia

hæc

hæc repetatur ex hiſtoriis; ſiue ex tranſitu à ſimili ad ſimile, ſiue ex αὐτοψία contingat; ſub qua comprehẽdo περίπτωσιν, αὐτοσχέδιον, μίμησιν: ſed etiam morbi ſpeciem, ſeu ideam, magnitudinem, motum, morem, omneſq; illius cauſas, tam internas, quam externas, ſimul & affectæ partis conditionem proprijs ſuis rimantur indiciis, inuentis tam indicatione, quam experientia remediis vſi. Et in hoc tum ab Empiricis, tum à Methodicis diſtinguuntur: quod vtriq; à rerum abditarum abſtineant cognitione, quam Empirici impoſſibilem, Methodici inutilem cenſent. Quum autem Dogmatici Symptomatum Syndromen, ſimul & experientiam, quæ multifaria eſt, vt iam diximus, vna cum empiricis, & indicationem cum methodicis admittunt. Quid vnumquodq; eorum ſit breuiter declarabimus.

Syndromen, ſeu concurſum ſymptomatum definit Galenus iuxta mentem Empyricorum, lib. 2. Methodi cap. 4. τῶν συμπτωμάτων ἄθροισμα τῶν ὑπαρχόντων τῷ πεπονθότι τόπῳ. Inhærentium affectæ parti ſymptomatum congeriem: qualis eſt in phlegmone, tumor rubeſcens, cum renitentia & dolore pulſante. Quem tamen agnoſcunt dogmatici, concurſus alia quoque *Quid ſyndrome ſymptomatum?*

continet ſymptomata, quæ loco non inhærent patienti, ſed ad eiuſdem affectionem conſequuntur. vt in pleuritide, & perineumonia, febris continua, ſpirandi difficultas, tuſſis, & ſputum cruentum; quibus ſi accedat pungens lateris dolor, ſyndromem pleuriticam conſtituunt, vt & perineumonicam, ſi citra dolorem accidant.

Quid experientia hiſtorica; Quid tranſitus;

Per experientiam hiſtoricam illam intelligunt, quę tradita eſt Authorum monumentis: vt per tranſitum à ſimili ad ſimile analogiſmũ, quo trifariam vtuntur, primo à morbo, ſeu pathemate ad ſimile pathema, remedium idem transferentes, vt argentum viuum à ſcabie vulgari, ad luem veneream: deinde à parte ad partem, vt cataplaſma de mica panis à phlegmone brachij ad cruris inflammationem, deniq; à remedio ad remedium tranſeuntes: vt in diarrhæa, à Cydonio, ad meſpulum.

Quid αὐτοψία, & quot eius ſpecies.

Αὐτοψίας, ſeu inſpectionis proprię, qua vnuſquiſq; remedia per propriam ſuam inuenit experientiam, tres habentur ſpecies, περίπτωσις αὐτοσχέδιον, & μίμησις:

Περίπτωσιν, ſeu caſum duplicem agnoſcunt, vnum naturalem, à motu naturæ petitum: vt ſi quis videns phrenitidem per hæmorrogiam tre-

ſrequenter terminari, inde coniiciat in phreni tide ſecandam eſſe venam: Alterum fortuitū, vt ſi quis videat ardente febre correptum immoderato potu frigidæ curari, inde harioletur ardenti febri ſalutarem eſſe frigidę potionem.

Per αὐτοχοίδιον, ſeu factum ſpontaneum intelligunt illud, quo homines proprio ſuo inſtinctu, aut ſomniis moniti, aut quouis alio modo vſum alicuius remedij fœliciter tentant, atq; ex eiuſdem euentu proſpero, theorema artis conficiunt: Cuius rei luculentum exemplum habemus initio lib. ij. de medicamentorum facultatibus: Diuitem ſcilicet illum Elephanticum, qui per ſomnium ab Aeſculapio monitus ex Thracia venit pergamum, vt vteretur ex viperis medicamento, cuius vſu liberatus à tam graui morbo, ocaſionem dedit vtendi ſimili medicamento in affectibus ſimilibus.

Per μίμησιν, ſeu imitationem, remedia caſu, aut facto ſpontaneo inuenta in ſimilibus effectibus iterum, atque iterum experimur, vt ex pluribus ſucceſſibus firmius ſtabiliatur Artis theorema.

Quid ſit indicatio

Ε῎νδειξις denique, ſeu indicatio, ab ἐνδείγνυμαι, id eſt oſtendo deriuatur, quod ea veluti digito monſtrentur, & inſinuentur agenda,

&ob

& ob id Agendorum ab Authoribus nominatur inſinuatio, eandemque rationem obtinet ad indicationem, quam ad demonſtrationem axiomata, ex Galeno capite 10. de optima ſecta. Cap. 11. eiuſdem operis definitur. ἡ συμπροσπίπτουσα κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος, ἅμα τῇ τοῦ βλάπτοντος καταλήψει ἄνευ τηρήσεως ἢ λογισμοῦ. Simul eueniens compræhenſio iuuantis, vna cum cum nocentis compræhenſione citra obſeruationem, & ratiocinationem; vt cognitioni principiorum, vel ſenſuum videatur correſpondere, vel etiam ipſorum brutorum animalium inſtinctui, quo nocentia fugiunt, vt æſtiuos ardores, & feruntur in iuuantia vmbram ſcilicet. non tamen putandum eſt nullum eſſe rationi, & diſcurſui locum: Quamuis enim indicatio citra diſcurſum fiat, ad dignoſcenda tamen indicantia, & indicata plurimum conducit ratiocinium, imo & ipſamet obſeruatio nam cum ex Galeno cap. 7. lib. 2. methodi, indicatio ſit ἔμφασις, τῆς ἀκολουθίας, id eſt inſinuatio conſequentiæ, neceſſumq; ſit ex ipſius rei natura ordiri, indeque inuenire, quod conſequens, faciendumq; ſit, tanquam inſinuatum, ſeu deſignatum in pręcedente: plurimarum rerum cognitione indiget Medicus, quam ſine diſcurſu,

ſcurſu, & obſeruatione non poteſt aſſequi. Eas autem ſex claſſibus compræhendit Galenus libro de ſectis ad tyrones cap. 3. prima complectitur naturam corporis humani, ſecunda cauſarum vires, quibus ſubinde idem corpus ſalubrius, aut inſalubrius redditur: tertia naturam aeris, locorum, aquarum, regionum, ciborum, potionum, & conſuetudinum, quarta morborum cauſas, quinta vires medicamentorum, ſexta diſſerendi peritiam, qua concludere poſſit quodnā remedium aduerſetur vnicuiq; cauſæ: vt explodendi ſint e ſcholis dogmaticorum, qui citra Logicæ, & Philoſophiæ notitiam, Medicinam docere, aut facere conantur: Quomodo autem harum rerum inſtructus cognitione, procedere debeat Medicus, ad remedia per indicationem inuenienda, duplice exemplo demōſtrat Gal. loco proxime citato, vno tumoris phlegmonoſi, altero febris ex plethora: vterq; hic affectus, cum ſit præter naturam, per contrariorum vſum ablationem ſui expoſcit, iuxta commune illud axioma, contraria, contrariis curantur, & ſimilia conſeruantur ſimilibus: Cui vniuerſa vis indicationis innititur: quæ vel ad conſeruationem eorum, quę ſunt ſecundū naturam, vſu ſimilium, *Duplex in vniuerſum indicatio: vna curatiua: altera cōſeruatiua: hæc ſimilium; Illa contrariorū vſu adimpletur*

vel

vel ad effectuũ παρὰ φύσιν curationem vſu con trariorum ordinatur. Hæc communis eſt & generalis indicatio. vt in particulariũ cognitio nem deueniamus; cognoſcendus eſt morbus, eiuſdemq; cauſa, v.g. phlegmonem eſſe demon ſtrant rubedo, tenſio, renitentia, & dolor, eiuſdem ſigna pathognomonica. eandem ex af fluxu ſanguinis in partem carnoſam, fieri docet pathologia. vnde duplex oritur indicatio: vna ſanguinem fluentem, & fluxurum: altera eum qui influxit, partiq; hactenus impactus eſt reſpicit: hic euacuationem, quia partem replet, atq; diſtendit: Ille fluxionis inhibitionem, per reuellentia, deriuantia, repellentia, intecipien tia, & aſtringentia requirit. Sanguis rurſũ impactus parti, quia crudus eſt, & indigeſtus, ante euacuationem, indiget pepaſmo, ſeu concoctione. Sed hæc omnia fuſius, ſuo loco declarabuntur. Nunc vt ad inſtitutum reuertar. In partibus medicinę docendis, & ediſcendis, ſpeculatiua, practicæ præmittenda, quoniam, nec ſanitas conſeruari, nec morbus rite curari poteſt, niſi prius dignoſcatur. In ſpeculatiua, a phyſiologia, ſeu rerum naturalium noticia, ad pathologiam, & illorum quæ corpori præter naturam accidunt cognitionem, procedendum:

dum: quoniam hæc cognoſci nequeunt, ignoratis, quę corporis noſtri naturam conſtituunt; ſeptemq́; ſolent ab authoribus numerari, elementa, temperamenta, humores, partes, facultates, actiones, ſpiritus: de quibus ſigillatim diſſeremus, ab Elementis exorſi.

CAP. II.

DE ELEMENTIS.

EXplicata Medicina in genere, partes illius enucleandę veniunt: Quarum prima eſt Phyſiologia, ſic dicta vt ſupra notauimus, quod illorum omnium expoſitionem compræhendat, quæ naturæ, corporis humani, conſtitutionem ingrediũtur neceſſario, ſiue per naturam ἐνέργειαν, ſeu facultatem intelligas, ſiue temperiem, ſiue conformationem, ſiue quiduis aliud in homine requiſitum ad faciendum aliquid agendo, vel patiendo. Porro naturam hanc conſideranti, ſupra non eſt aſcendendum medico; quam proſpexiſſe referat eum, qui ſit cum ratione ſanitatem curaturus, vt docet Hippocrates in principio libri *Quid naturæ nomine ſit intelligẽdum.*

Digitized by Google

de natura humana, & poſt illum Ariſtoteles ſub finem libri de reſpiratione, vbi vult ibi inchoandum eſſe Medico, vbi deſinit Phyſicus; a primis videlicet ſenſibilibus corporis humani principiis: hoc eſt à quatuor elementis, quæ quidem à Medico conſiderantur, non prout ſunt corpora perfecta, ex materia prima, & propriis ſuis formis conflata, neque vt qualitatibus prædita motricibus, leuitate, & grauitate, tam ſimpliciter dicta, quam ſecundum quid, propriis ſuis conſiſtunt ſedibus, orbemq; ſublunarem adimplent: hæc enim ſpeculatio non ad Medicinam, ſed ad Philoſophiam naturalem pertinet: vt illa qua modum cognoſcimus, quo, vi qualitatum alteratricium, in ſe inuicem tranſmutantur, mutuaque, & reciproca actione, & paſſione ſimul coeunt ad mixti generationem. In quo quidem mixto, non integris, ſed fractis, & remiſſis qualitatibus remanent, & ſecundum quoſdam formarum ſubſtantialium gradus, vt placet Auerroi: quippe qui elementorum formas, in hoc ab aliis formis ſubſtantialibus diſtinguit, quod intendi poſſint, & remitti, non tamen citra ſpeciei variationem, & immutationem: nam huiuſmodi intenſio, & remiſſio ſolis accidentibus competit.

Vbi deſinit phyſicus, incipit Medicus.

Duplex intenſio, & remiſſio.

tit. Vt non actu, ſed potentia remaneant in mixto: vnde ſequitur nullam dari penetrationem dimenſionum, quamuis minima pars mixti, ſit mixta, ac propterea, itá permiſceantur, in mixto elementa, vt nulla reperiatur ignis particula, quantumuis exigua citra aeris, terræ, & aquæ commixtionem: quoniam penetratio dimenſionum tantum eſt corporum exiſtentium actu: ſed hæc vt dixi, & ſimilia ſpeculationis ſunt Phyſicę. Medicus autem qui totam contemplationem ſuam, vel ad ſanitatem efficiendam, vel ad eandem conſeruandam dirigit, hæc tantum de elemẽtis perſcrutatur, quid ſint? quot ſint? qualia ſint? & quomodo ingrediantur humani corporis compoſitionem, tanquam principia ſenſibilia, non quidem pura, ſed permixta? quodq; mixtio hæc fiat præſertim penes primas qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: quæ omnia conſideranda ſunt medico, vt ſciat ex debita calidi, frigidi, humidi, ſicci ſymmetria, & temperie dependere ſanitatem, & ex eorundem ametria, & intẽperie quamplurimos pullulare morbos, quibus ſanitas ſubuertitur. Quod quidem ad primum attinet. Galenus libro 8. de placitis, definit elementũ minimam

Quæ, & quot conſiderãda ſint Medico de Elementis.

Quid Elementũ & eiuſdem definitionis explicatio.

partem illius, cuius elementum dicitur, id eſt pars ſimpliciſſima, quæ in alias ſpecie diuerſas diuidi non poteſt. Dixi ſpecie diuerſas, quoniam diuiſio ſecundum magnitudinem abit in infinitũ, nõ autem illa quę fit ſecundum ſpeciem, qua corpus humanum reſoluitur vltimo in quatuor elementa: primum enim diuiditur in caput, truncum, & extrema: deinde inter extrema brachium diuiditur in humerum, cubitum, & manum: manus rurſus in oſſa, cutem venas, arterias, neruos, tendinem, & carnem; Caro deniq; in ignem, aerem, acquam, & terram. nec vlteriorem in partes ſpecie diuerſas recipiunt diuiſionem. poſſunt tamen diuidi in materiam, & formam, quæ partes corporeę non ſunt: imo poſſunt diuidi in partes continuas, quæ non differunt ſpecie.

Quatuor elementa corporis noſtri cõpoſitionẽ ingredi, varijs cõfirmatur argumentis.

Elementa hęc eſſe quatuor numero, noſtriq; corporis compoſitionem ingredi, variis argumentis demonſtrat Galenus capite 5. lib. 1. de Elementis; primo quod ex iiſdem concreſcant quæ in ſublunari hoc mundo generantur, ex quibus ipſe mundus ſublunaris conſtat, atqui mundum ſublunarem ex quatuor Elementis conſtare quadruplici motu recto, duplici ſurſum, & duplici deorſum demonſtrat Ariſtoteles.

les. Deindeq́ quod in animalibus oſſa, & cartilagines terræ, adeps aquæ, ſpiritus aeri, caro igni, & in humoribus melancholia terræ, pituita aquæ, aeri ſanguis, & igni flaua bilis correſpondeat: tertio quod plantæ, quę ſimpliciores ſunt animalibus, ex his componantur: quarto quod calliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, redactis ad mediocritatem conſeruetur animal; intereat autem, vel grauiter ægrotet, ſi illarum vna, vel plures nimium intendantur, vel remittantur: quinto quod corpus noſtrum in hæc reſoluatur: non tantum per obitum, quando ſecundum Hippocratem ad ſuam redeunt naturam Eleméta: ſed etiam viuente adhuc animali, per inſenſibilem ſiquidem tráſpirationem ſubinde abſumitur ignea, & aerea ſubſtátia, vt & aquea per ſudores, imò & terrea vt manifeſtum eſt ex ſalſedine, & ſordibus quę poſt deterſum ſudoré partibus adhęrent: Loquor hic de reſolutione naturali, non de violenta, aut artificioſa, ne ſit paracelſiſtis pro ſale, ſulphure, & Mercurio argumentandi locus: Loquor etiam de reſolutione vltima, in partes ſenſibilês, & ſpecie diſtinctas: cuiuſmodi non eſt illa qua, contendunt chymici corpus quodlibet in tria iam dicta principia reſolui. *Occurrit Chymicorum obiectionibus*

poſ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL

poſſunt enim illa adhuc diuidi in priora ſpecie differentia, puta in quatuor elementa: ſed hæc obiter. Nunc ad inſtitutum redeundum. Præter argumēta iam allata, hominem ex quatuor elementis conſtare confirmat Galenus, tum ex eo quod vegetantibus, & animantibus, quæ ex elementis concreta ſunt, nutriatur, tum quod à ſtatu præter naturam in naturalem per elementorum actionem reducatur, refrigeratus ſiquidem, incaleſcit à calore, calefactus à frigore contemperatur: Calidi, frigidi, humidi, & ſicci nomine intelligimus elementa, vel ſaltem iſta in quibus prædominantur, quæ harum beneficio agere, & pati nata ſunt, & earundem actione, & paſſione non ſolum in ſe inuicem tranſmutari, ſed etiam mixtum conſtituere, & conſtitutum alterare multifariam.

Ariſtoteles quaternarium hunc numerum Elementorum confirmat quadruplici motu ſimplici, & recto quo cernimus vnū corpus eſſe abſolutè leue, alterū graue abſolutè, duo vero intermedia comparatè grauia, & leuia: & quadruplici quatuor primarū qualitatū combinatione, calidi ſcilicet cū ſicco, calidi cū humido, frigidi cum ſicco, & frigidi cum humido. Cæterum ſi rationē deſideres ſēſibus accōmodatiorem,

Digitized by Google

rem, meditare cum clariſsimo Riolano naturam eodem modo ex terra aqueo humore perfuſa corpus mixtum effingere, quo piſtor panem ex farina aqua ſubacta, & figulus ex argilla vaſa ſua conficit: idq; quia ob ſiccitatem terra ſine aqua tanquam glutine cohærere non poteſt, nec aqua propter fluiditatem ſine terra tanquam repagulo ſiſti, vel cohiberi; vt autem perfecta fiat mixtio producaturq; forma noua, neceſſum eſt ambæ contemperentur à ſuis contrariis, terra vtpote ab aere, & aqua ab igne. Hinc fit, vt cadauera à calore igneo cinereſcāt, primum aerei, & oleoſi, deinde aquei humoris exſiccatione. Communis eſt in ſcholis ſententia in quolibet elemento vnam eſſe qualitatem intenſam, & remiſſam alteram. In igne vtpote intenſum calorem, & remiſſam ſiccitatem: in aere remiſſum calorem, & intenſam humiditatem: in aqua remiſſam humiditatem, & intenſum frigus: in terra deniq; remiſſum frigus, & intenſam ſiccitatem: quod fortaſſe adimittendum eſt ratione illius quod mixto generando conferunt: cui ignis plus caloris, quam ſiccitatis, terra contra plus ſiccitatis, quam frigoris, aer plus humiditatis quam caloris, aqua deniq; plus frigoris, quā humiditatis impertit: nō abſo-

abſolutè, & ſimpliciler hoc concedendum eſt. exiſtimo ſiquidem in elementis ſemper intenſas eſſe qualitates paſſiuas, quoniam citra materiæ commixtionem in ſe inuicem agere, & à ſe inuicem pati non poſſunt: ob quam cauſam paſſiuæ nominãtur, ſimul & quia locum materiæ, ſeu contenti in generatione mixti obtinent; vt & actiuę formę, ſeu continentis: Actiuæ vero, calor ſcilicet, & frigus intenduntur à ſiccitate, & ab humiditate remittuntur. Quapropter in extremis elementis intenſiſſimę sũt, in mediis vero remiſſæ. nec credendum eſt frigus facilius ab aqua ſeparari, quam humiditatem, ob graduum remiſſionem, ſed hoc fit quoniam calor agit potentius in frigus, quam in humiditatem ſiccitas, maiorq́; eſt in humiditate, quam in frigore reſiſtentia. Etenim prouida, & ſagax natura, vt in omnibus ſeruet æquilibrium, quibus maiorem agendi, iiſdem minorem reſiſtendi vim, & vice uerſa cõceſſit, fecitque paſſiuas, vt & actiuas ſibi inucem contrarias, & paſſiuas vtraſq́; ambabus actiuis ſymbolas. nec putandum eſt aquam humidiorem eſſe aere, quia magis, & citius humectat, hoc enim fit per accidens, & ob materię craſſitiem: nec ignis ſiccior eſt terra, quia magis, & citius

ex-

Google

nec ignis ſiccior eſt terra; quia magis, & citius exſiccat, quoniã ignis non ſolũ ſiccitate, ſed & calore inducit exſiccationem, quod etiam pręſtat terra frigore: ſed frigus minorem agendi vim habet, quam calor.

CAP. III.

DE TEMPERAMENTIS.

NVnc ad Temperamentorum explicationem accedendum, dicendũq; quid ſit temperamentum? quę nam ſint illius ſpecies? cuius ſint temperamenti ſingula anni tempora? ætatis, partium, & humorum differentiæ? & quibus inſtrumentis dignoſcantur temperaturę. Temperamẽtum quod Gręci κρᾶσιν appellant, nihil aliud eſt ſecundum pleroſq; quam quatuor elementorum, ſeu quod eodem redit calidi, frigidi, humidi, & ſicci mixtio, qua iuxta Galenum lib. 1. de elementis, cap. 9. elemẽta ſibi inuicem miſceri per totam ſubſtantiam oportet: vt nulla detur pars mixti, quæ non ſit mixta, & omnium elementorum particeps. hinc tria ſequuntur: primum

eſt mixtionem non fieri per iuxta poſitionem elementorum proprias ſuas formas, & ſuperficcies retinentium: vt voluit Empedocles, & poſt illum elegantiſsimus Fernelius, aut per atomorum, ſeu inſectilium corporum confuſionem, vt placuit Democrito, ſed per admixtionem elementorum, tam ſecūdum ſubſtantias, quam ſecundum qualitates: nec inde ſequitur vt antea diximus dari penetrationem dimenſionum, cum elementa non actu, ſed potentia tantum in mixto maneant. Secundum eſt, mixtionem hanc fieri pręter naturam vniuſ cuiuſq; elementi particularem, quamuis eidem nō aduerſetur vniuerſalis natura, à qua ad mundi conſtitutionē inſtituitur. Tertium eſt, in generatione mixti elementa hæc actione, & paſſione mutua alterari, & tam ſecundum ſubſtantias, quam ſecundum qualitates immutari: vt manifeſtum eſt ex Ariſtot. cap. 10. lib. 1. de ortu, & interitu, aſſerente mixtionem eſſe miſcibilium alteratorum vnionem; & ipſa elementa non remanere, id quod erant, actu exiſtente eo, quod ex iis eſt factum. nec ſatis eſt miſcibilia communem habere materiam, & eſſe inuicem agentia, & patientia, ſed neceſſum quoque eſt, ſint facile diuiſibilia,

que-

Digitized by Google

queãtq; in minutiſsimas patirculas facilè diuidi: debent etiam eſſe ſecundum quantitatem proportionata: nam multa cum paucis, & magna cum paruis propriè non miſcentur: quoniã quod ſuperat, alterũ interimit, & in ſuam cõuertit naturam, vt videmus in guttula aquæ igni magno iniectæ, vel in guttula vini proiecti in dolium plenũ aqua. Mixtio hæc de qua hic loquimur bifariam conſiderari poteſt: nimirum in relatione ad terminum à quo, miſcibilia videlicet ſub propriis ſuis formis exiſtentia, quorum reſpectu corruptio dicitur: & in relatione ad terminum ad quem, formam ſcilicet mixti, ſeu miſcibilia, ſub hac forma conſiſtentia, qua ratione generatio mixti, eiuſdemque forma, imo harmonia, ſeu concentus, & temperies dici poteſt: generatio mixti, ſi conſideretur in fieri, forma mixti, ſi conſideretur in facto, & prout dat eſſe mixto: harmonia, ſeu concentus reſpectu proportionis debitæ, quæ requiritur inter miſcibilia, ad hoc vt tale mixtum conſtituant: & temperamentum prout mixtum diſponit, aptumq; reddit ad actionem hanc, vel illam, hoc, vel illo modo edendam. Ideoq; deſcribitur à Galeno temperamentum congrua elementorum mixtio,

ad actiones vniuſcuiuſq; rei proprias.

Plerique putant temperamentum definiri per mixtionem, tanquam per cauſam, quoniam ex mixtione reſultat; quod non inficior: poteſt etiam per harmoniam, ſeu concentum deſcribi, habita ratione ipſorum miſcibilium, modo per harmoniam non ſimplicem relationem, ſed certam qualitatem in mixtorum proportione, & concentu poſitam intelligamus quam diuerſam eſſe ab iis, quæ in primis exiſtebant corporibus, quas acquirunt de nouo, qualitates per compoſitionem, & fermentationem demonſtrant medicamenta compoſita; & idcirco Auicennas vult temperamentum eſſe qualitatem nouam, ex actione mutua, perpeſſioneq; calidorum, frigidorum, humidorum, & ſiccorum certa proportione conſtantium. Neoterici inter quos eſt Thomas Aeraſtus, vir magnę eruditionis, duplex agnoſcunt temperamentum: vnum ex qualitatum, & alterum ex ſubſtantiarum mixtione: hoc primum, illud ſecundum appellant: huic actionem ab occulta qualitate, ſeu modo miſtionis vel à proprietate ſubſtantiæ: illi actionem à manifeſta qualitate tribuunt. Primum hoc temperamentum, nihil aliud eſt, quam forma

mixti

mixti, quæ varia, & multiplex exiſtit, pro multiplice elemẽtorum ad ſe inuicem proportione: Secundum eſt qualitas, quæ formam hanc ſequitur, & ab authoribus in locum latentis formæ, non rarò ſubrogatur. Huius qualitatis infinitę prope modum reperiuntur varietates, non ſolum inter ſpecies diuerſas eiuſdem generis, ſed etiã inter ipſa indiuidua, imo & inter partes eiuſdem indiuidui. Solent tamen ad duo ſumma genera reduci, nimirum ad temperamentum æquale, & inequale: æquale rurſum quod Græci ἔυκρατον, καὶ σύμμετρον, hoc eſt bene temperatum; & proportionatum appellãt, vel mediũ eſt ad pondus, & ad proportionem arithmeticam, vel ad iuſtitiam, & ſecundum proportionem geometricam: illud elementorum, eorundemq; qualitatum æquilibrium requirit ſecundum pondus, & menſuram: hoc, illud tãtum, quod cuiq; rei ad propriam ſuam actionem edendam pro dignitate conuenit; illud temperatum ſimpliciter, & ad vniuerſam ſubſtantiam, ſeu reſpectu totius naturæ; hoc temperatum in ſingulis generibus dici ſolet: illud vel omninò non datur, vel ſi detur fugax eſt, & breuiſsimo temporis ſpatio perdurans, vt cogitatione potius, quam re ipſa videatur

exiſte-

exiſtere, ex Galeno lib. 1. de ſanitate tuenda: hoc in ſingulis viuentibus, pro natura ſua ſe bene habentibus conſiſtit.

Nec vos commoueat authoritas Clariſsimi Fernelii, cui non tantum, quantum veritati debemus. Illius autem argumentum prius falſo innititur fundamento; præſupponit ſiquidē qualitates elementorum ſummas, & ſubſtantias integras in mixto remanere, quod nec permittit contrariorum conditio, nec capit ſubiecti ratio: cum non niſi octo gradus qualitatum ſimul, & ſemel ſuſcipere poſſit. Vt ſi ſint octo gradus caloris, nullus ſuperſit frigori locus, ſi ſeptē caloris vnus ſit frigoris neceſſario, ſi ſex caloris duo frigoris, & ſic deinceps. Quamuis ergo quatuor gradus caloris pugnent cum quatuor frigoris, poſſunt tamen ſimul ſubſiſtere, ratione capacitatis ſubiecti, ad tempus ſaltē aliquod. Id cōtingit quādo fit trāſitus ab extremo ad extremum, vt fert poſterior Fernelii ratio: nā ille trāſitus fit procul dubio p mediū, ꝙ diu ſubſiſtere non poteſt, cum in motu ſit, & in fluxu, inter duas qualitates contrarias, quarum actionem perfectè terminare non poteſt, porro mediū hoc per quod fit trāſitus, ab extremo ad extremum, ſpecie ab extremis non diſtingui-

ſtinguitur, ſed cum vtriſq; collatum, extremi, & contrarii rationem induit: verbi gratia tepidum collatum cum callido frigidi, & cum frigido calidi rationem obtinet; & hoc modo mixtum ratione primarum, & contrariarum qualitatum, medium non dicitur, quoniam ab extremis ſpecie differt: & per mediũ diſtinctum ab extremis non fit tranſitus: alioquin actionem primarum qualitatum nõ terminaret mixtum, eſſentque omnia mixta eiuſdem ſpeciei, quod eſt abſurdum. Quod autẽ dictus tranſitus non fiat per mediũ ſpecie diſtinctum ab extremis, docent medii colores, viridis, ruber, flauus & ſimiles, per quos non fit neceſſario tranſitus in mutatione ab albo ad nigrum. Qd obiicitur de oleo, illud aſcendere in aqua, & deſcendere per aerem, ac ob id temperatum eſſe ad pondus, in qualitatibus motricibus, propterea quod medium locũ occupet inter quatuor elementa; reſpondeo oleum in aqua ſupernatare propter incluſum, quem habet aerem, & ſubſtantiam craſſam, & poroſam, quæ per denſiorem aquæ ſubſtantiam deſcendere non poteſt, nec cum eadem permiſceri, ideoq; ſupernatat, lapidis inſtar pumicis, qui in exiguas particulas cõminutus, & in puluerem re-

dactus

dactus ſubſidit, ſublatis poris, quibus incluſus erat aer. oleũ cinnamomi, & gariophillorum, in aqua ſubſidunt, quia ſubſtantiam habent Compactam magis, & vnitam nullis refertam foraminibus, quibus includi poſsit aer; quod autem oleum, non ob leuitatis, & grauitatis mediocritatem ſupernatet in aqua, ſed ob modum potius ſubſtantiæ, valide demõſtrat ſpiritus vini, qui leuitate oleum ſuperat, deſcẽdit ſiquidem in eo oleum, non tamen ſupernatat aquæ, ſed cũ eadem permiſcetur. Ob eandem rationem videmus ſupernatante magni ponderis ligneo globo, plumbeũ exiguũ, fundum petere. vt ad propoſitum reuertar, tẽperamentum inęquale, vel ſimplex eſt, vel compoſitum: illud prędominio vnius alicuius quatuor qualitatum, in frigidum, calidum, humidum, & ſiccum, hoc pro exceſſu vnius alicuius quatuor combinationum poſsibilium, in calidum, & ſiccum, calidum, & humidum, frigidum, & humidum, frigidum, & ſiccum diuiditur.

Clarius, vel omnes quatuor qualitates ęqualiter concurrunt ad conſtitutionẽ mixti, abſq; vllius exuperantia, ſaltem ſenſibili, vel cũ vnius, vel duarũ prædominatione (nam tres excedere non poſſunt, cũ impoſsibile ſit contraria-

rum

rum qualitatum ſimul, & ſemel in eodem ſubiecto prædominiuum) ſi primum contingat ſit temperamentum æquale, ſi ſecundum temperamentum inæquale ſimplex, ſi tertium temperamentum compoſitum. vt nouem ſint in vniuerſum temperamenta, vnum æquale & octo inæqualia, quatuor ſimplicia, & totidem compoſita. Porro res dicuntur calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccę vel abſolutè, vt ignis, aer, acqua, & terra, quibus ſolis inſunt primæ qualitates ſinceræ, ſimplices, & ſine permixtione: vel per exuperantiam, & vnius, vel duarum qualitatum ſupra reliquas exceſſum; hoc eſt in relatione: quæ fit, vel ad quodlibet obuium, quomodo ceruus dicitur frigidus reſpectu Leonis, & homo ſanguineus, reſpectu bilioſi, vel ad medium: ſiue medium illud ſit σύμμετρον abſolutè, & reſpectu totius naturæ: eiuſmodi eſt homo, vt ait Galenus, qui eſt veluti regula, & norma omnium reliquorum mixtorum: quæcumque enim ab huius temperie recedunt, in vna, vel duabus primarum qualitatum excedere videntur, ſiue ſit medium ad iuſtitiam, & proportionis Geometricę quod vel eſt in eodem genere, vt Aurum inter metalla, inter plantas borrago, & homo

inter animalia; vel in eadem ſpecie, cuiuſmodi inter homines eſt ille, quẽ veluti Polycleti regulam proponit Galenus libro 1. de ſanitate tuenda. Medium hoc generis, & ſpeciei in membris quoque & partibus locum obtinet, medium ſiquidem in Genere partium humani corporis, eſt cutis, illa prçſertim, quç eſt in extremitatibus digitorum, in relatione ad quam reliquç omnes partes dicuntur calidç, frigidç, humidæ, vel ſiccæ, prout ab illius temperamẽto recedunt: Medium ſpeciei, eſt temperatiſſimum in quolibet membro, verbi cauſa, Cor quamuis calidum ſemper dicatur, in relatione ad medium generis cutem ſcilicet, temperatum tamen eſt, & medium ſi comparetur cũ iratorum corde, quod eſt calidius, & cum corde timidorum quod eſt iuſto frigidius. Idem de reliquis omnibus partibus ſentiendum, quarum temperamenta ſecundum relationem ad mediũ eiuſdem ſpeciei in arte parua Gal. fusè propriis ſuis ſignis exponũtur. Et hæ ſunt præcipuæ ſignificationes calidi, frigidi, humidi, & ſicci formaliter ſumptorum: ſiue talia ſint ad tactum, & actu, vt loquũtur in ſcholis: ſiue poteſtate ſolum, & ſecundum operationes, quas edũt à Natura actuata: ſiue actuatio illa ſit pro-

priè

Digitized by Google

priè dicta, & per aſſimilationem, ſiue impropriè dicta, & per remotionem impedimenti, & ſeparationem partium heterogenearum ab homogeneis: hoc modo actuantur medicamenta frigida: illo calida. non loquor hic de illis quę dicuntur calida, frigida, humida, & ſicca ἐνεργυτικῶς ſolum, & effectiuè, vt loquuntur, cuiuſmodi ſunt corpora cœleſtia, quæ motu, lumine, aſpectibus, & influentiis, primas has qualitates in inferiore hoc mundo producunt. his ita conſtitutis quoniam Medicis dogmaticis pro fundamento ponitur, actionem partiũ à temperamento earundem proficiſci, & quoniam temperies non ſolum totius, ſed etiam vniuſcuiuſque partis multifariam immutatur, potiſſimum ab anni temporibus, ætatiſque decurſu, videndum eſt quæ temperies toti corpori, ſingulis eius partibus, & humoribus conueniat, item cuius temperamẽti ſint ſingula anni tẽpora, & ætatum differentiæ. de humorũ temperamentis cap. 4. vt & de temperaturis partium, & totius cap. 5. dicetur: in hoc præſenti capite anni temporum, & ætatum explicandæ ſunt temperaturæ.

Annum in quatuor tempora, quatuor punctis cardinalibus, duob. nẽpe ęquinoctialibus,

&totidem ſolſtitialibus terminata diſtinguit Sol motu ſuo proprio, & per Zodiacum peragratione; à primo gradu Arietis, ad primum Cancri, ver: ab hoc rurſus ad primũ Libræ, æſtatem, à quo ad principium Capricorni autumnum, & hinc inde ad principium Arietis hyemem efficit.

Medici diſtinctionem hanc temporum à ſtabili, & permanente aeris mutatione in primis quatuor qualitatibus repetunt, veri quandam æquabilitatem tam in actiuis, quam paſſiuis qualitatibus attribuentes, æſtati caloris, & ſiccitatis exceſſum, autumno exuperantiam ſiccitatis, vt inæqualitatem frigoris, & caloris, quod horis matutinis, & veſpertinis frigus, meridianis verò calor dominetur: quæ cauſa eſt cur constitutio hæc omnium ſit inſaluberrima; hyemem denique frigidam, & humidam eſſe contendunt. Nec me latet ver apud Hippocratē libro de natura humana calidum dici, & humidum: non quod vllum habeat caloris, aut humiditatis exceſſum, ſed ad ſeruandam quandam analogiam quatuor anni temporũ, cum quatuor primarum qualitatum combinationibus, quatuor elementis, & quatuor humoribus. Nec obiiciendum eſt

mor-

morbos quamplurimos tempore veris pullulare: quoniam illi, vel omni prorſus carent periculo, vel ſi quid ſubſit periculi, illud non vernæ, ſed prægreſſis conſtitutionibus aſcribendum: in quibus praui, & corrupti humores in corporibus noſtris congeruntur, quos natura nouo vere corpora quaſi expurgans, & vt aliquo modo innouentur, omnia à centro ad circumferentiam mouens, ſubigere, & euacuare conatur. Sed iam de temperamentis ætatũ, quæ nihil aliud ſunt, quam manifeſtæ mutationes annorum decurſu in viuentibus factæ per actionem caloris natiui in humidum radicale: ſecundum quas, vel accreſcimus, vel in eodẽ permanemus ſtatu, vel decreſcimus. vnde tres primariç ętatum differentiæ, puerilis, virilis, & ſenilis, vel ſi maius prima, media, & vltima; quarum ſingulæ ſuas habent ſubdiuiſiones: prima in pueritiam, pubertatem, & adoleſcentiam, ſecũda in iuuentutẽ & virilitatẽ, tertia in ſenectutem viridẽ, mediam, & decrepitã diuiditur: pueritia ad annum 14. pubertas à 14. ad 18. adoleſcentia à 18. ad 25. iuuentus à 25. ad 35. virilis ætas à 35. ad 50. ſenectus viridis à 50. ad 60. media à 60. ad 70. & decrepita hinc inde ad mortem

ex-

Digitized by Google

extenditur. Hi ordinarij ſtatuuntur ætatum termini, quos eccedere non nunquam permittit naturæ vigor, & anteuertere cogit eiuſdem imbecillitas. Videmus enim ſæpe numero ſexagenarios adeo robuſtos eſſe, vt videantur potius viridem ſenectutem, quam mediam ingredi: & quadragenarios adeo imbecilles vt appareant decrepiti: eſtq; hoc Medico maximè prænotandum, qui non tam annorum numerum, quam virtutis robur, in adminiſtratione remediorum ſpectare tenetur. In omnibus hiſce ætatum differentiis, præſertim in primariis, euidenter apparent immutationes temperamentorum. In prima ſiquidem humidiſſima eſt oīum partium ſubſtãtia, in vltima ſicciſſima, in media medio modo ſe res habet. hinc eſt quod prima ętate adeo mollia ſint oſſa, vt nō ſolum accreſcere, verum etiam flecti, & quocunque volueris modo figurari poſſint: quod non contingit in ętate media, multo minus in poſtrema ob nimiam ſiccitatem, & duritiem. Ratio autem cur omnia ſint humidiora in prima, quam in cæteris ætatibus, eſt quia propiora ſunt principiis vitę, ſemini ſcilicet, & ſãguini mẽſtruo, quę calida, & humida sũt. At Iuuenes inquies sũt æque calidi, ac pueri, imo

for-

Digitized by Google

fortaſſe calidiores: quia celeriores habēt actio nes. Reſpōdeo hoc verum eſſe ſi ſpectemus caloris inteſionē, nō autē ſi eiuſdem redundantiam, & extenſionem intueamur, quæ maxima eſt in puerili ætate, quam tamen obtundit immoderatio humiditatis, qua diſſipata, & exhauſta ex parte, in iuuentute calor euadit acrior, & a ſiccitate, quę eiuſdem eſt lima aliquo modo intenditur. Nec inde ſequitur eundem intenſiorem euadere in ſenectute: quoniam humiditatis excrementitiæ prouentu, ætate vltima langueſcit. Quamuis enim ſenes natiuo ſuo temperamento ſicci ſint, humidis tamen maximè ſcatent excrementiis. Præterea in hac ætate, exhauſtum eſt valde, & conſumptum natiui caloris pabulum, humidum nimirum primigenium, quo decreſcente calorem ipſum imminui neceſſe eſt: vt apparet in igne, cuius vis imminuitur ſubſtractione, & conſumptione lignorum. Quod de Iuuenis & pueri temperamentis dictum eſt, idem de temperamentis maris, & fœminę ſentiendum: eſt ſiquidem calor in maribus intenſior, extenſior vero in fœminis.

CAP.

CAP. IIII.

DE HVMORIBVS.

DOcet Hippocrates libro de natura humana hominem non eſſe vnam ſimplicem ſubſtantiam, ſed ex quatuor elementis in vnum coeuntibus concretam, nō immediatè, vt inanimata corpora, ſed multarum mutationum interuentu, quibus transmutantur elementa in quatuor humores, ſanguinem, pituitam, & vtramque bilem, flauam ſcilicet & nigram, quam melancholicam vocant: ex quibus immediate concreſcit homo conformatur, augetur, & tam in vtero, quā in lucem editus nutritur. Nec huic doctrinæ repugnat, quod docetur in libello de ſemine, partes nempe ſpermaticas ex ſemine, & ſanguineas, ſeu carnoſas ex ſanguine generari. Quoniam Authore Gal. commento ad lib de Natura humana, ſeminis moles, ex qua delineantur partes ſpermaticæ, tam exigua eſt, vt reſpectu illius, quod accedit ex ſanguine materno, quaſi pro nihilo habeatur. Adde quod ortum habeat ſemen à ſaguine, omneſq; qua-

Digitized by Google

tuor humores in ſe complectatur, licet fortaſſe magis elaboratos. Hinc eſt, quod humores animantium ſanguineorum elementa nominentur, quodq; illorum iuſta ſymmetria, & naturalis conſtitutio ſanitatis, vt & ametria, & conſtitutio pręter naturam morborum cauſa exiſtat. Medicorum ergo intereſt, quicquid contra fremant Eraſiſtratæi, & qui fumoſas Chymicorum affectant nugas, dignoſcere quid, & quot ſint humores, quomodo in nobis generentur, quæ ſint illorum temperamenta, & quomodo cauſæ morborum, & ſanitatis euadant. Vt igitur à nominis exordiamur etymologia: χυλός, καὶ χυμός apud grecos interdum pro quauis humiditate ſumuntur: ſiue in corpore noſtro contineatur, ſiue non. Interdum ſtrictiori, magiſque propria vocis ſignificatione: χυλὸς materiam ſignificat, ex potulentis, & ęſculentis in ventriculo, coctionis vi genitam, cremori ptiſanæ ſimillimam: quæ poſtea per inteſtina, tenuia pręſertim, & venas meſaraicas transfertur ad hepar: vbi in χυμὸν, ſeu humorē propriè dictum maſſam ſanguineam ſcilicet quatuor dictis humoribus conſtantem, vlteriore coctione cōuertitur. Vt humor, ſeu χυμὸς propriè loquendo nihil aliud ſit, quam corpus

fluidum in nobis ex alimentorum tranſmutatione genitum, ad nutritionem corporis, alioſque vſus ſalutares, ſi in naturali permaneat cõſtitutione, ad effectuum vero morboſorum productionem ſi ab eadem recedat. duplices ergo hic veniunt conſiderandi humores, naturales, & nonnaturales: naturales vel ſunt primarii, vel ſecundarii. Primarii rurſus vel ſunt alibiles, vel excrementitii: alibiles ſunt ſanguis, per quem quartum humorem intelligimus aeri correſpondentem, pituita, bilis flaua, & Melancholia, qui omnes ſanguinea maſſa continentur in hepate confecta, & hinc inde per venas in vniuerſum corpus ad ſingulas partes alendas diſtributa, ex qua membrũ vnumquodque, quod ſibi magis eſt familiare vi quadam inſita in ſuam trahit alimoniam; calidum ſcilicet, & ſiccum, humorẽ bilioſum: frigidum, & ſiccum, Melancholicum: humidum, & frigidũ, pituitoſum: calidum, & humidum, ſanguineum. Dum autem Maſſa hæc in iecore conficitur ex Chylo eo delato, non ſolitarii, & ſinceri generantur iſti humores, ſed ob diuerſam materiæ diſpoſitionem, & impuritatem, variæ ſuccreſcunt humiditates excrementitiæ partibus nutriẽdis ineptæ. quippe ex craſ-

ſiori,

ſiori, & terreſtriori Chyli portione, melancholia ex tenuiori, & calidiori flaua bilis: hæc in veſicam felleam, illa in lienem tanquam in proprium ſuum receptaculum demandatur, poſtquam ebullitionis vi ſeparata fuerit à ſanguine, non ſecus in hepate, quam muſto in dolio ebulliente: poſtmodum verò per proprios ſuos ductus excernitur. Bilis flaua per inteſtina, quæ per ductum, vel porum Cholidochum à veſica fellea tranſmittitur, tum vt excludatur, tum vt clyſmatis inſtar naturalis, expultricem inteſtinorum facultatem ad craſſarum fæcum excretionem ſolicitet. Melancholia vero quoties qualitate, vel quantitate grauat, ſi animal bene ſe habeat, per venas hęmorrhoidales externas, & internas excernitur: hæ cacochymiæ, illæ plenitudinis, ſeu plethoræ depletrices appellantur. Ex aquea, & frigidiori, atque humidiori Chyli portione generatur pituita, cuius pars ſeroſior à renibus per venas emulgentes attrahitur, & ſubinde excluditur per vrinas, reliqua in maſſa remanet, tum vt deficiente humore alibili, in illius locum per vlteriorem coctionem ſubrogetur, tum vt ſanguini qui craſſior eſt, ac proinde ad motum ineptior, ſit vehiculo, faciatque vt melius fluat,

Digitized by Google

faciliuſq; penetret; ad ſingulas partes, ad quas vbi peruenerit ſanguis, ſerum hoc partim per poros ex ſudat, partim per venas in vrinæ vias retrolabitur. Sunt qui exiſtimant vnũquemque humorem alibilem proprium ſuum ſerum habere, quod ſero lactis correſpondet: quæ opinio non abhorret à ſententia Galeni; non poteſt tamen ſerũ illud in humorẽ alibilẽ conuerti, vt pituita, de qua nunc loquimur. Imo exiſtimamus ſerum illud non eſſe ſufficiens vehiculum ſanguini. Nec putandum eſt pituitam hanc eſſe eandem cum ſanguine pituitoſo qui maſſæ ſanguineæ conſtitutionem ingreditur, partiumque frigidarum nutritioni inſeruit: quoniam vt iam diximus excrementitia eſt, & in partium alimoniam nunquam faceſſit, niſi vlteriorem in venis paſſa fuerit concoctionem: idque propter defectum alibilis, & laudabilis humoris: quod flauæ, & atræ bili excrementitiis contingere non poteſt: quoniam bilis atra tum propter nimiam ſubſtantię craſſitiem, tum propter exceſſum frigiditatis, & ſiccitatis nobis nutrimento eſſe nequit; vt & bilis flaua propter amaritudinem, quòd ſi vlteriorem patiatur coctionem in humorem atrabilarium ambo degenerant; in hoc tamen fla-

ua,

ua, & atra bilis de quibus loquimur cum pituita excrementitia conueniunt: quod ſicuti hæc alibilis pituitæ, ita illa melancholiæ, & flauæ bilis; quæ ſanguini permiſcentur, membrorũq; inſeruiunt nutritioni partes ſint deteriores: quamuis enim ſecta vena ſimplex ſubſtantia effluere videatur, quam ſanguinem omnes vocant, eam tamen ex quatuor diuerſis conſtare ſubſtantiis, validiſsimis argumentis his verbis confirmat Hippocrates lib. de natura humana. Dico ſane eſſe ſanguinem, & pituitam, ac flauam bilem, & nigram, & horum quidem primum iuxta legem nomina diſtincta eſſe, dico, & nulli ipſorum idem nomen eſſe, deinde ſpecies iuxta nomen eſſe ſeparatas, & neq; pituitam eſſe ſimilem ſanguini, neque ſanguinem bili, neque bilem pituitæ: quo enim modo hęc inter ſe ſimilia ſint? quorum neque ſimiles colores videntibus apparent, neque ad manuum tactum ſimilitudo aliqua eſſe deprehenditur; neque enim ſimiliter calida ſunt, neque frigida, neque humida, neque ſicca, & paulo poſt, quod autem hæc omnia non vnum ſint, ſed vnumquodque ipſorum vim, & naturam ſuam habeat, vel hinc cognoſcere licebit, quod in omni ætate, quouis anni tempore, die, aut no-

ꝺte

cte quamdiu homo viuit, exhibito medicamẽto carthartico cholagogo, bilem flauam, phlegmagogo, pituitam, menalogogo, melancholiam euacuari videris, vt & ſanguinem pertuſa vena vel vulnerata parte aliqua. Concludendũ ergo cum Hippocrate quatuor eſſe in maſſa ſanguinea humores, ſubſtantia plane diuerſos, primum κατὰ νόμον ex authoritate veterum, qui iis tãquam rebus diuerſis diuerſa impoſuerunt nomina: deinde κατὰ φύσιν quoniam differunt qualitatibus tam primis, quam ſecundis; Sanguis ſiquidem temperatus eſt ad calidum, & humidum vergens modicè, colore rubro, & ſapore dulci: bilis calida eſt, & ſicca cum coloris flauitie, & amaritudine ſaporis: melancholia frigida, ſicca, nigra, & acida eſt: ideoque aliqua eius portio aliquando in ventriculum per vas breue ad appetentiam exitãdam eructatur, quod præſtat aciditate, & vi quadam adſtrictoria. Pituita demum frigida, humida, alba, & inſipida exiſtit. Hinc eſt quod ſanguinei actiones omnes habeant temperatas, bilioſi celeres, melancholici, & pituitoſi tardas. Porro cũ humores hoſce calidos, frigidos, humidos, & ſiccos eſſe dicimus, nihil aliud volumus, quã illos tales eſſe comparatè, &

pote-

poteſtate: quoniam humor omnis actu humidus eſt, imò, & calidus, quamdiu in corpore noſtro ſub naturę permanet regimine: hoc dico propter pituitam vitream, quæ à natura derelicta velut indomita, & inſuperabilis ad naturalem, & inſitam propria ſua virtute reuertitur frigiditatem. Quod ad motum humorum attinet, ſanguis vere, bilis æſtate, pituita hyeme, & melancholia autumno dominatur: Præterea ſanguis mouetur manè, & in prima quadra diei naturalis, bilis meridie, & in ſecunda quadra, melancholia veſperi in quadra tertia, & pituita circa mediam noctem in quadra vltima. Vt autem naturalis horum conſtitutio partium ſimilarium ſanitatem, ſic eorumdem conſtitutio præter naturam morbum efficit. Naturalis humorum conſtitutio à duobus dependet, temperie ſcilicet, & mixtione: in craſi, ſeu temperie duo conſiderantur, facultas, & copia; per facultatē ſeu δύναμιν intelligimus debitam humorum temperiem in quatuor primis qualitatibus, vt neque ſint iuſto calidiores, neque frigidiores, neque humidiores, neque ſicciores: per copiam vero, ſeu τὸ πλῆθος intelligimus iuſtam eorundem proportionem, qua requiritur, vt neque

ſint

ſint nimis pituitoſi, neque nimis bilioſi, neque nimis melancholici. Requirit autem hæc proportio vt in maſſa ſanguinea plus ſit ſanguinis, quam reliquorum humorum, plus pituitæ, quã melancholiæ, plus melancholiæ quam flauæ bilis. horum omnium exacta mixtio plurimũ confert ad efficiendam meliorem temperiem, atque etiam ad partium quæ eiſdem nutriuntur vnitatem. Si ergo naturę limites excedant humores vel facultate, vel copia, vel mixtione, ægrotet animal neceſſum eſt. Exceſſus facultatis nudam procreat intemperiem, ſi ei iũgatur copię vitium, fit intemperies materialis quæ eſt cum humoris affluxu, vt & ſolutio cõtinui ſi quid ſeparatim exiſtat in corpore, vel imperfecta fuerit partium, & humorum vnio. Reliqui autẽ morbi qui organici nominantur non deducuntur ex humorum ratione, ſed ex vitio conformationis, magnitudinis, numeri, ſitus, & figurę. Porro dũ humores à naturali ſtatę recedunt, præcipue ſecundũ facultatem ſiue alibiles ſint, ſiue excrementitii, non naturales euadunt, ſeu præter naturam. Sanguis quidem ſub propria ſua forma nõ poteſt alterari; quia ſtatim pars illius tenuior in bilem flauam, craſſior in melancholiam, & aquoſior in pituitam degenerat:

degenerat: ideoque omnes morbi verè ſanguinei potiùs quantitati, quàm qualitati referuntur. Pituitę non naturalis quatuor recenſentur ſpecies cap. 6. lib. 1. de diferent. febr. vna vitro fuſo colore, & ſubſtantia perſimilis, ob id à Praxagora vitrea dicta, & vt antea diximus frigida admodum eſt, atque facilè in gypſeam tranſmutatur pituitam: altera quoque exquiſitè frigida eſt ſenſilem obtinens dulcedinem, quàm expuūt plerique cum ſcreatu, tertia acida expuentibus apparet, minus quam vitrea, magis quam dulcis frigida. quarta eſt quæ ſalſedinem acquiſierat, vel putredine, vel permixtione ſalſæ, & ſeroſæ humiditatis. Bilis etiam non naturalis multiplex reperitur, alia etenim eſt vitellina græcis λεκιθώδης dicta, in venis genita, & ouorum vitelli conſiſtentia, & colore æmula, cauſamque agnoſcit calorem præter naturam, flauā bilem diſſipatione tenuiorum partium incraſſantem, non autem vt voluit Auicenna eiuſdē cum pituita permixtionem, quæ permixtio non vitellinam bilem, ſed pallidam potius procreat. πρασώδης, ſeu porracea, ſic dicta, quòd porri colorē referat, & nō raro in ventriculo generatur, ex Galeno lib. 1. progn. comm. 39. tertia eſt æruginoſa, ſiue ἰώδης ab

æruginis ſimilitudine ſic nominata, eiſdemq; locis gignitur, quibus porracea, vt & etiã quarta quæ ἰσατώδης, ſeu glaſtea appellatur, quod iſatidis, ideſt glaſti colorem habeat: quinta additur bilis non naturalis à Galeno lib. 10. de ſimpl. med. facult. capite de bile quæ Cærulea nuncupatur, eſt omnium peſſima, humori atrabilatio proxima, & ni fallor eadem cum bile zinaria Auicennæ. Fit autem per caloris exceſſum ex bile glaſtea, vt hæc, ex æruginoſa, æruginoſa rurſum ex viridi, ſeu porracea, quæ non ſolum in ventriculo ob eſculentorum quorundam, olerum præſertim, & fructuum cruditatem, non frigiditatis, ſed æſtuoſi caloris ſobolem, ac ructus nidoroſi procreatricem, verum etiam in hepate, venis, aliiſque partibus ex flaua bile per calorem deurentem, ac tenuiores partes diſſipantem, generatur. Humor Melancholicus ſi intra latitudinem ſanitatis incaleſcat modicè, homines reddit ingenioſos, confirmando memoriã, & imaginationem ſua craſſitie, & ſiccitate, & illuſtrando ſpiritus animales ſuo ſplendore, at ſi frigidus permaneat ſtupiditatis, & segnitiei cauſa exiſtit, ſi multum excedat in calore, in humorem degenerat atrabilarium, qui etiam poteſt per vſtionem, & putredi-

tredinem ex bile flaua, pituita ſalſa, imo & ex ipſo ſanguine fieri. Humor hic Atrabilarius omnium pernicioſiſſimus eſt, erodit & fermentat terram, inſtar aceti, proximoque ad venenum accedit: ideoq; ex illo pullulantes morbi exitiales, & incurabiles ferè ſunt, vt Cancer, & elephantiaſis. Nunc de humoribus ſecundariis dicendum. Quatuor expoſiti humores alibiles ex chylo in hepate geniti, ab excrementis expurgati, atq; ita inter ſe mixti, & vniti, vt ſub vna forma conſiſtere videantur, per venas veluti per tubulos ad ſingulas partes nutriendas in vniuerſum corpus deferuntur: & ob id à venis maioribus in minores, & ab his in partium Cauitates delabuntur, vbi primum ipſis partibus adhærent, & agglutinantur, deinde iiſdem perfectiſſimè aſſimilantur. vnde videmus humorem alibilem, prius quam conuertatur in ſubſtantiam noſtram multifariam immutari, conuertique in humores ſecundarios, qui quatuor conſtitui ſolent: primus ἀνώνυμος, & ſine nomine, ipſe videlicet ſanguis in extremitatibus exilium venarum exiſtens iã iã in partium ſubſtantiam lapſurus. Secundus ros appellatur, quod roris inſtar in partium Cauitates diſtillet, in quibus tamen non corrum-

 pitur,

pitur, tum quia eſt in loco naturali ſub caloris regimine, tum etiam quia ſenſim, & quaſi diſpenſante natura eo appellit: tertius cambium nominatur; quod iam concreſcere, ac in ſubſtantiam partium mutari incipiat: & quartus gluten quia in naturam partium eſt conuerſus, earundemque cõtinuitati conſeruandæ glutinis inſtar inſeruit: quamuis enim gluten, & cambium concreta ſint corpora, & naturam partium æmulantia, dicuntur tamen humores ſecundarii, tum quia ex primariis mediante rore ſolum, & anonymo fiunt, nec adhuc partis nomine fruuntur, tum quia opponuntur totidem ſiccitatibus à Galeno lib. 7. meth. deſcriptis, ex quibus Auicenna quaternarium hunc ſecundariorum humorum numerum colligit: etſi tenera, & propriè loquendo humores non ſint, ſed potius ipſarum partium ſubſtantiæ, quæ abſumptæ, hecticæ, ſeu ſiccitatis quatuor pariunt differentias, vt eleganter docet Galenus loco iam citato. Ad partium quoque ſubſtantiam referri debet humidum radicale, ſeu primigenium, quod nihil aliud eſt quam ſubſtãtia pinguis, & oleoſa ex quatuor humoribus compoſita, & à principiis generationis ſemine præſertim promanens, in qua calor inſitus, ve-

Digitized by Google

luti flamma in oleo ſuſtentatur, de cuius natura poſtea fuſius diſſeremus, in capite ſcilicet de ſpiritibus. Quod ad oculorũ humores attinet, oculorum partes ſunt; vel viſionis actionem obeuntes, vel eidem inſeruientes.

CAPVT V.

DE PARTIBVS.

GAlenus cap. 3. de morborum differentiis triplicem exponit corporis humani compoſitionem: vnam partium ſimilarium, quæ ex quatuor humoribus naturam referentibus quatuor elementorum, alteram partium organicarum quæ ex partibus ſimilaribus. & tertiam totius corporis quæ ex organicis concreſcit. vt meritò quam aggredimur partium, & membrorum explicatio, humorum annectatur expoſitioni. Age igitur, & primum inquiramus quid ſit pars? deinde quænam ſint illius differentiæ? & deniq; quodnam ſit vnius cuiuſque temperamentum? De ſingularum .n. ſubſtantia, connexione inter ſe, magnitudine, figura, numero, ſitu, & actione, diſſerere non

pati-

patitur compendioſa quam ſequimur methodus: adde, quod ſubſtantia, connexio, ſitus, figura, numerus, & magnitudo non poſſint niſi αὐτοψίᾳ, & per anotomiam innoteſcere: de actionibus autem dicturi ſumus proprio ſuo capite. Pars Græcis μόρισ, καὶ μέρος definitur à Galeno lib. 1. meth. cap. 1. id quod integrum complet. Quo ſenſu nomen partis tria illa complectitur quæ meminit hippoc. lib. 6 ep. ſect. vltima ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ἐνορμοῦντα, continentia, contenta, & impetum facientia: quamuis propriè loquendo humores, & ſpiritus, qui contentorum, & impetum facientium nomine intelliguntur à partium excludantur numero, definiaturque pars corpus roti cohærens communique vita conuinctum ad illius functiones, vſumuè comparatum. qua definitione non ſolum humores, & ſpiritus, qui fluxi, vagique ſunt à partibus diſtinguuntur, verum etiam pili, vngues, medulla oſſium, adeps, & ſimilia, quæ vita carentia tantum alimentorum iuxta poſitione accreſcunt: ſimul, & humores præter naturam, calli, verrucæ, ſextus digitus, & idgenus reliqua functiones potius impedientia, quam iuuantia. concedendum tamen eſt ſpiritus, & humores eſſe partes integrationis,

ſeu

Digitized by Google

ſeu conſtitutionis, vt & pilos ornatus. variç circumferri ſolent partium diuiſiones: illa tamen maximè vulgaris, & cõis eſt, qua partes in ſimilares, & diſſimilares diuiduntur. Pars ſimilaris, ſeu ὁμοιομερὴς, ex lib. 1. meth. cap 6. illa dicitur, quę vndiq; in ſimiles diuiditur particulas, ſeu q; idem eſt, cuius quælibet particula habet idem nomen, & eandem rationem cum toto: vt videre eſt in carne, & in oſſe: quælibet enim pars carnis caro, & quælibet oſſis os nominatur. Carnis hic nomine ſubſtantiam muſculoſam, parenchymata, & glandes intelligo. Præter carnem, & os, nouẽ recẽſeri, ſolent partes ſimilares, cartilago ni, ligamentum, membrana, tendo, neruus ſub quo ſpinalis medulla, arteriæ, venæ, fibrę & cutis: quæ omnes ob id ſimilares appellãtur, quod ex vnica, & ſimplici cõſtare videantur materia, cuius præſertim ratione diſſimilaribus opponuntur, quarum materia heterogenea eſt, & multiplex. Poſſunt & illæ partes quæ ſimilares ſunt reſpectu materiæ, eſſe organicæ ſecundum conformationem, & ratione officii: vt cernere eſt in venis, arteriis, & neruis, quę ſecundum ſtructuram, & quem pręſtant principibus partibus hepati, cordi, & cerebro, famulatum partes ſunt officiales, & organicæ:

Digitized by Google

nicæ: quamuis ſi illarum ſpectemus materiam ſimilares, & ſimplices eſſe videantur: dixi videantur, quoniam reuera, & ſecundum intellectum, nullæ ſunt partes ſimplices in corpore noſtro, ſed omnes ſunt compoſitæ ex quatuor humoribus. Hinc patet partes ſimilares non organicis,ſed diſſimilaribus opponi,niſi in hoc quod ſimilares à materia,& organicæ à conformatione, & forma externa, quæ in figura, magnitudine,numero,& ſitu conſiſtit, denominationem ſortiantur. Partes ſimilares diuiduntur in ſpermaticas, & carnoſas: hæ ex ſanguine materno,illæ ex ſeminis craſſaméto, quicquid contra fremat Ariſtoteles, in prima fętus conformatiône côcreſcût;hæ in perpetuo ſunt fluxu, ſuamq; magnitudinem toto vitæ curriculo variant; illæ firmam, & ſtabilem habent permanentiam, ſecundum numerum in animali adhuc accreſcente, & tam ſecundum numerum,quam ſecundum magnitudinem in adulto: hæ ad caliditatem, & humiditatem; illæ ad frigiditatem, & ſiccitatem magis vergunt: hæ quouis tempore augeri poſſunt, & coaleſcere; illæ in adultis nec accretioné, nec vnionem diuiſæ recipiunt, ſaltem ſecundum primam intentionem, id eſt immediatè, & ſinè interuen-

tu cal-

uis vt antea diximus omnes partes organicæ diſſimilares non ſint, & compoſitæ: quia tamen maxima illarum pars compoſitionem, & multiplicitatem admittit; ſolent plerique partes diſſimilares, & organicas confundere, & vtriſque opponere partes ſimilares: cùm tamen ſecundum rei veritatem, partes organicæ, ſeu inſtrumentarię, priuatis, & ſimilaribus, diſſimilares opponantur: non eſt enim de natura organi ex partibus ſpecie diuerſis conſtare, ſed concinnam, & actioni perficiendæ idoneam habere conformationem, penes quam conſiſtit naturá inſtrumenti, vt eſſentia ſimilarium penes conuenientem, cuique illarum temperiem: differunt præterea ſecundum actionem. Primum, quia actio ſimilaris communis eſt, & indiſcriminatim omnibus partibus conueniens, nulla enim eſt pars quæ non alimentum attrahat, retineat, concoquat, & expellat excrementa: at organicarum actio cuilibet propria eſt, & determinata: verbi gratia oculo viſio, ventriculo chylificatio, & ſanguificatio hepati. Deinde actio ſimilarium tota quanta eſt à temperie inchoatur, & ab eadem perficitur, at actio organicarum partium inchoatur quidem à temperie, ſed perficitur ab organo. Hinc

eſt quod in quolibet organo vna quędam conſtituatur pars ſimilaris pręcipua actionis cauſa, vt in oculo humor criſtallinus, in hepate parenchyma, vide Galenum cap. 3. de morborum differentiis lib. 4. de vſ. part. cap. 12. & paſſim alibi. Sumuntur inſtrumentariarum partium differentiæ tum à maiori, & minori compoſitione, tum à maiori, & minori nobilitate actionis. Secundum maiorem, & minorem actionis nobilitatem aliæ ſunt partes Principes, ſeu nobiles quæ regunt, & non reguntur, cuiuſmodi ſunt reſpectu indiuidui hepar, cor, cerebrum, quæ ideo principes dicuntur, quod facultatem aliquam immediatè toti corpori impertiant, eandemque vitæ neceſſariam, hepar ſcilicet naturalem, cor vitalem, & cerebrum animalem: de quibus poſtea dicemus. Inter partes nobiles annumerantur teſtes cap. 9. artis paruæ ob dignitatem, quam habent in ſpecie propaganda. Aliæ ſunt partes quæ reguntur, & non regunt, ex principibus ſcilicet ortæ, iiſdemque famulantes, vt ſunt nerui, arteriæ, venæ, & vaſa ſpermatica, quæ eodem modo teſtibus inſeruiunt, quo venæ hepati, arteriæ cordi, & nerui cerebro: aliæ ſunt quæ regunt, & reguntur, vt ventriculus, inteſtina, vterus, renes, veſica, & cæteræ

teræ

Digitized by Google

teræ huiuſmodi partes organicę, quæ venas, arterias, & neruos ſenſibiliter admittunt, quorum ope facultatis influxum recipiunt à cerebro, corde, & hepate, atque ratione huius influxus regi dicuntur, regunt verò ſi propriam illarum actionem ſpectemus: v. g. ventriculus chylificationem, inteſtina excretionem fœcum, & muſculus motus regit, & moderatur. Hiſce tribus partium differentiis quartam annectit Gal. loco proximè citato, naturales partes, & ſimplices complectentem, quę neque regunt, neque reguntur: ſed vi inſita & propria gubernantur, cuiuſmodi ſunt oſſa, cartilagines, membranæ ſimplices, adeps, caro itidem ſimplex: non regunt quia nullam habent actionem officialem, & determinatam, non reguntur ab aliis quoniam quicquid habent actionis, illud totum ab inſita perficitur virtute nec quicquid illis à principibus membris influit: ac propterea neruos, arterias, & venas ad ſenſum non admittunt; poſſunt tamen inſita, qua pollent vi, & ſanguinem, & calorem vitalem ex vicinis partibus allicere, & ad ſe attrahere, non quidem ad propriam ſuam actionem obeundam, ſed ad ingenitam facultatem ſuſtentandam, nutriendam, & fouendam. Maximus

Digitized by Google

quidem eſt in corpore noſtro harum partium vſus; oſſa etenim, & cartilagines fundamenta ſunt, quibus reliquę omnes partes ſuſtinentur; præterea ad motum plurimum conducunt, & ad partes nobiles muniendas: membranæ eaſdem cooperiunt, & cauitates diſtingunt; glandulæ vaſorum diſtributionibus muniendis, & ſuſtentandis famulantur: pinguedo membranarum, neruorumque corporibus ſeu oleo, vel pinguedine in motu vehementiori inungendis conducit: quæ omnia ex anatome ſunt fuſius repetenda. Ratione compoſitionis, quatuor conſtituit Gal. ordines partium organicarum cap. 4. de morb. diff. his verbis, *ſicuti ex partibus ſimilaribus quodlibet primorum inſtrumentorum, ita ex iiſdem primis inſtrumentis componuntur ſecunda, ex ſecundis tertia, ex tertiis quarta, ex quibus demum vniuerſum corpus conflatur. Muſculus enim, vena, & arteria ſunt prima inſtrumenta: digiti ſecunda, & magis compoſita ſunt, his adhuc magis compoſita ſunt pedes, & pedibus ipſa crura.* Sed iam de temperamentis tam ſimilarium, quam organicarum partium dicendum. Quæ inter ſimilares ſpermaticæ ſunt, & ſolidæ, eas frigidas, & ſiccas eſſe communis fert opinio, hoc

tamen

tamen ordine, vt primum in frigiditate, & ſiccitate locum obtineant oſſa, ſecundum cartilagines, tertium ligamenta, quartum tendines, quintum membranæ, ſextum venæ, & arteriæ, poſtremum nerui duri; molles etenim nerui, ſicuti, cutis mediam naturam ſortiti ſunt inter humiditatem, & ſiccitatem: imo cutis media cenſetur inter partes ſanguineas, & ſpermaticas ſecundum vtramque oppoſitionem: ideoque reliquę oẽs partes in ordine ad cutem, tanquam ad mediũ generis, dicũtur calidę, frigidę, humidæ, & ſiccæ: Pilos hic pretereo ipſis quidem oſſibus frigidiores, & ſicciores, quia proprię loquendo partes non ſunt. Generantur omnes iſtæ partes ſpermaticæ ex ſeminis craſſamento, vt antea diximus, non vi frigoris concreto, vt perperam arbitrantur nonnulli, ſed ab ipſo calore humiditatem diſſipante. Cuius diſſipatione calor ipſe defectu pabuli imminuitur, vt non ſolum ratione materiæ quæ frigidior eſt, atque terreſtrior ſeminis portio, ſed etiam reſpectu modi quo conformantur frigidæ exiſtant. Quod ſi iuuentur à calidorum, & lædantur à frigidorum vſu: hoc nõ tam exceſſum, quam defectum caloris arguit, qui ad mediocritatem vſu calidorum reducitur, à qua

per

Digitized by Google

per vſum frigidi magis recedit: quod contingit in omnibus temperamentis intemperatis, vt colligere licet ex Galeno paſſim in arte parua. Quod ad axioma illud attinet ſimilia ſimilibus conſeruantur. Illud intelligendum eſt de temperatis, quæ neque ad hoc, neque ad illud extremum inclinant: cum enim extremũ omne vitioſum ſit, conſiſtatq; in medio perfectio, quotieſcunque aliquid à medio deflectit, illius ſtudendũ eſt reductioni, quæ fit per contraria. Ideoq; natura prouida, & ſagax omnes partes iſtas ſpermaticas ad exiguum illarum calorem conſeruandum, & quaſi augendum, partibus carnoſis, & ſanguineis, quæ calidæ, humidæque ſunt, circumſepſit, & veluti circumueſtiuit.

Duplex eſt hic notanda carnis ſignificatio, vna anguſta, & magis propria, pro ſubſtantia ſimilari molli, & rubicunda muſculorum fibras cõplectente, implente, ac quaſi fulciente, quę ſimplex, & ſine fibris reperitur in glande, & in gingiuis: altera lata, prout pręter carnẽ muſculoſam, & propriè dictam glanduloſam etiam, & viſceroſam comprehendit. per glanduloſam eam intelligo quæ teſtium, mammarum, & ſimilium glandes conſtituit, per viſceroſam

audio

audio parenchyma hepatis, lienis, cordis, pulmonis, & ſimilium. Hæ omnes partes carnoſæ in relatione ad ſpermaticas, quamuis aliæ minus, alię magis calidæ, humidęque exiſtunt. Non me latet præter triplicem iam expoſitam, dari carnem propriè dictam vnius cuiuſq; partis v. g. inteſtinorum, membranarum, & ſimilium, quæ potiùs ad partes ſpermaticas, quam ad ſanguineas referenda eſt. Carne calidior eſt ſanguis, vt & ſanguine ſpiritus. Communis eſt opinio medullam frigidam eſſe, & humidam, vt & pinguedinem, adipem, & ſæuum. De medulla non magna eſt controuerſia, de reliquis non ſine cauſa dubitatur: primo enim quod calida ſint, docet illorum effectus, calefaciunt enim, & facilè inflammantur. Deinde materia ex qua generantur ſanguis ſcilicet, pinguis, & oleoſus. A frigore tamen concreſcunt, quæ calore funduntur, & per conſequens cùm orta atteſtentur ſuis principiis, frigida cenſenda ſunt. Verum enim vero, non omnia quæ concreſcunt à frigore, vel ab imminuto calore neceſſario frigida ſunt, ſed craſſarum potiùs partium, vt cernere eſt in oleo, imo in ſulphure, & euphorbio, quæ calidiſſima ſunt, & tamen calore funduntur, & frigore concreſcunt. Il-

Digitized by Google

lud autem axioma, orta atteſtātur ſuis principiis, intelligendū pręſertim de principiis materialibus niſi quando actio vniuoca eſt, tantaq; fit alteratio, vt res ſuā pęnitus immutet naturā, quod cernere eſt in aceto: In cuius productione vinoſæ partes pœnitus euaneſcunt. Volunt authores pinguedinē ex aquoſa magis, & crudiori ſanguinis portione, ſæuum ex terreſtriori, & magis ſicca, & adipem ex pingui, & oleoſa generari. Partes organicæ temperiem mutuantur ex ſimilaribus, quibus conſtant, & quę primas obtinent in illarum ſtructura, & compoſitione: ita vt cognito ſimilarium temperamento, facilè ſit organicarū tēperiem inuenire Cerebrū ob medullarem, qua conſtat ſubſtantiā, omniū membrorū frigidiſſimum, humidiſſimumque exiſtit. Oculus frigidus quidem eſt tam humorum, quam membranarum ratione; quamuis perfundatur plurimo ſpiritu animali à cerebro per neruos opticos influente: in paſſiuis qualitatibus vincere videtur humiditas, tum quia humores mole, & quantitate membranas excedunt, tum quia nerui optici molles ſunt. Cor viſcus calidiſſimum eſt totius corporis, & quamuis illius parenchyma ſolidum, denſum, & compactum appareat, quia tamen durities

rities tanta non eſt in illo, quanta in cute, humidum cenſetur. Pulmo calidus eſt, quia nutritur ſanguine calido & bilioſo in dextero ventriculo cordis elaborato: ob quam quoque rationem ſecundum natiuam temperiem ad ſiccitatem vergit: & ideo contendit Auicenna pulmonem non eſſe natura humidum, ſed potius madidum, & pituita à Cerebro illabente refertum: in illis præſertim qui catharro ſunt obnoxii: quæ autem cernitur in illo tangendi mollities non ex humiditate, & laxitate, ſed ex ſubſtantię potius raritate procedit. Hepar ſubſtantiam habet carnoſam, & ſanguineam, ideoq; manifeſte calidum humidumque cenſetur. Inter hepar, & pulmonem medius eſt Lien iuxta Galenum 14 de vſu partium tàm ſubſtantia, quam temperamento. Si obiicias viſcus hoc craſſo, & melancholico nutriri ſanguine, & per conſequens illius ſubſtantiam non tanto rariorem eſſe hepatis, quanto craſſior eſt pulmonis ſubſtantia: Reſpondeo cum Galeno, ſanguinem hunc in ipſo liene multiplici arteriarum motu incaleſcere, & attenuari, priuſquã in ipſius viſceris ſubſtantiam faceſcat. Dicendum præterea viſcus hoc non toto ſanguine melancholico, ſed illius tantum por-

Digitized by Google

tione tenuiori, & puriori nutriri. Renes calidi ſunt & humidi, ſed minus quam hepar, tum ratione ſanguinis quo aluntur, tum etiam ſeri, pituitoſi pręſertim, cuius perenni fluxu irrigantur, & aliquo modo refrigerantur. Partium, vt omnium reliquorum corporum temperies ex ſecundis qualitatibus innoteſcunt, ſic dictis quod primas ſequantur, vel quod ex illarum procedant mixtione: harum quatuor aſſignari ſolent differentię: prima qualitates tactiles, ſecunda guſtatiles, ſeu ſapores, tertia olfactiles, ſeu odores, & quarta viſibiles, ſeu colores comprehendit: & quamuis in rerum temperamentis explorandis ſenſus omnes coniungendi ſint cum ratione, pręferendi tamen ſunt tactus, & guſtus, reliquis in iudicando certiores. Inter ſapores amari, ſalſi, & acres caloris; Acidi, acerbi, & auſteri frigoris; dulces, inſipidi, & vnctuoſi temperiei, ſeu mediocritatis inter frigidum, & calidum ſunt Indicia. ſi contrarium accidat vt in opio, quod licet frigidum habeatur amareſcit: hoc fit ob diuerſarum, & hetereogenearum ſubſtantiarum admixtionem, quę certe neceſſaria eſt in opio, ad hoc vt ſubſtantia calida ſua ſubtilitate, & penetrandi vi frigidæ ſit vehiculo, faciatque, vt

melius

Digitized by Google

melius penetret. Ex tactilibus qualitatibus durities ſiccitati & mollities humiditati atteſtantur, niſi durities accidentaria ſit, & ex repletione, aut congelatione procedat; Et niſi mollities ſit in corpore aliquo fuſo, aut liquefacto. Aſperitas quoque, & craſſities, ex ſiccitate, vt illarum oppoſita ex humiditate ſoboleſcunt: grauitas, & denſitas à frigore, leuitas & raritas contra à calore promanant.

CAPVT VI.

DE FACVLTATIBVS.

CORpus noſtrum tam concinnè tantaq; cũ partiũ varietate, & elegantia à Natura conſtructum eſt, vt Animæ à Cœlo exulanti famuletur. Et quoniam immortalis hæc diuinæ auræ particula cum corpore caduco citra medium vniri nequit, nec vnum aliquod datur vinculum vtriuſq; extremi particeps, prouida natura, quæ à ſe inuicem longiſſimis diſtabant interuallis, per vtriuſq; extremi propagines, Animæ ſcilicet facultates, & ſpiritus arctiſſime copulauit. quippe ſpiritus

Digitized by Google

ex corpore oriundi non poſſunt ſine Anima, & facultates ab Anima promanantes nequeunt ſine corpore ſubſiſtire. Spiritus corporei ſunt, & Animæ famulantur, facultates vero ſunt incorporeæ & corpus moderantur, non tamen abſque miniſterio ſpirituum, qui vna cum facultatibus ad functiones Animæ obeundas concurrunt: Ita tamen vt facultas principale ſit & primarium in agendo animæ Inſtrumentum. Ob id Gal. lib. 9. Meth. Cap. 13. contendit vitam, vel eſſe ipſam facultatem, vel actionem à facultate prodeuntem: nec immerito, cum vita eſſentialiter nihil ſit aliud quam Animę cum corpore vnio, à facultatibus, & ſpiritibus dependens, accidentaliter vero actio ab hac vnione procedens. Cumq; vt iam diximus vi facultatum ex parte animæ admiranda hæc fiat copulatio, ab iiſdemq; ꝓcedãt omnes, quas exercemus actiones, licet nõ abſq; ſpiritibus ſimul, & iuſta partium temperie atq; legitima earundem conformatione, quę ꝓxima eſt actionũ cauſa, remotior eſt ſpiritus, & qui in eo continetur calor, remotior adhuc eſt facultas, & remotiſſima eſt ipſa Anima: quæ tamen prima eſt in ordine cauſarum: Ideoque Ariſtotiles Cap. 1. lib. 2. de Anima definit

Digitized by Google

finit Animam actum primum corporis organici habentis vitam poteſtate, vbi de vita loquitur accidentali. Et cap. 2 eiuſdem lib. dicit Animam eſſe illud quo viuimus, ſentimus, & Ratiocinamur. quippe animę famulantur reliquæ cauſæ, facultates ſcilicet, ſpiritus, temperies, & conformatio partium. Hinc videmus facultatem de qua loquimur nihil aliud eſſe quam potentiam naturalem animæ exiſtentis in corpore ad aliquid agendum, vel patiendum. Naturalem hic potentiam non in anguſta illa vocis ſignificatione accipio, qua vitali, & animali opponitur, ſed prout ſuo ambitu vim quamlibet complectitur inſitam, & congenitam, ſiue rationalis ſit & libera ad vtramque contradictionis partem, ſiue determinate vnam reſpiciat. Quamuis præcisè loquendo hæc irrationalis, & non libera; illa rationalis, & libera nuncupari ſoleat, quod approximata paſſo omnique ſublato impedimento non operetur neceſſario vt potentia naturalis, ſed poſſit operari & non operari. Et quamuis omnis agendi vis & potentia, vel ad rationalem, vel ad naturalem facultatem referatur; Medici tamen ad maiorem, & euidentiorem partium principum diſtinctionem, tres conſtiuunt facultates,

cultates, vnam naturalem, vitalem alteram, & tertiam animalem. Primam ab hepate per venas, ſecundam à corde per arterias, & tertiam à Cerebro per neruos deriuant: non quod facultates ipſæ à partibus promanent, procedunt ſiquidem vt antea diximus ab ipſa Anima. Sed quod ſpiritus, & calor quorum egent opera in actionibus obeundis ab hiſce membris oriantur, propagenturque. Facultates iſtas à ſe inuicem eſſe diuerſas, primo ex eo docent Authores, quod diuerſiſſimas habeāt actiones, deinde quod actiones cuiuſq; harum lædi poſſint ſigillatim illæſis aliarū actionib. Tertio ꝙ ſeparatim inueniātur. Os etenim, & cartilago viuunt, & nutriuntur cum tamen omni ſenſu careant. verum hæ rationes etſi ſufficiant ad comprobandas cuiuſque harum virtutum ſubminiſtrationes, imo & ipſas virtutes diuerſas eſſe, non tamen oſtendūt facultates iſtas, ita eſſe à ſe inuicem diſtinctas, vt nulla cōmuni comprehendantur virtute; Nam videmus motum lędi Illæſo ſenſu, & vice verſa, cum tamen tam mouendi, quam ſentiendi facultas ad Animalem virtutem pertineat. Præterea tangere, ambulare, recordari, imaginari, intelligere, diuerſæ ſunt functiones, quarum aliæ citius, aliæ

tardius

Digitized by Google

tardius eduntur, poſſuntq; animalia recordationis expertia & ambulare, & tangere, & tamen omnes iſtę functiones cauſam agnoſcunt virtutem animalem. Quapropter Gal. ad euidentiorem huius rei explanationem lib. 2. de placitis Cap. 7. ſequenti vtitur argumento ex Platone lib 4. de Rep. non procul à calce deprompto: illæ facultates quæ de iiſdem rebus eodem tempore contraria cupiunt, & volunt, diuerſæ plane ſunt, nec ſub vlla communi facultate comprehendũtur. Atqui tales ſunt tres enumeratę potentię, Animalis ſcilicet, vitalis, & naturalis: ergo. Pugnã hanc, & contrarietatẽ inter rationẽ, ſeu vim λογιςικὴν, & concupiſcentiam, ſeu potentiam ἐπιθυμητικὴν, eleganter exprimit Phedra apud Terentium in Eunucho vbi de Laide ſic loquitur. Nunc ego, & illam ſceleſtam & me miſerum ſentio. Et tædet, & amore ardeo, & prudens videnſque pereo. facultatis iraſcibilis cum rationali pugnam repreſentat Medea apud Euripidem, quę quidem iuſta cauſa in Iaſonem irata, iracundia rationem ſuperante, proprios ſuos filios ex Iaſone natos, non ſine materno reluctãnte amore enecat. Noui inquit qualia perpetrem mala, ſed ira potentior eſt conſilio meo.

Ani-

Animalis facultas quæ motum, & ſenſum à Cerebro per neruos in vniuerſum corpus tranſmittit, ſubdiuiditur in motricem, rectricem, & ſenſitricem: rectrix rurſum in phantaſiam (ſub qua ſenſum communem comprehendunt Medici) Intellectum, & Memoriam, quæ nullo alio organo, quam ipſomet cerebro in ſuis functionibus edendis vtuntur, in quo differunt a mouendi ſentiendique facultatibus, quæ propria quibus operentur ſortita ſunt inſtrumenta. muſculus ſiquidem Inſtrumentum eſt motus volontarii, & ſenſui cuilibet proprium eſt aſſignatum organum, viſui ſcilicet oculus, auditui aures, proceſſus mamillares, & nares olfactui, tactui Cutis, & guſtui lingua & palatum. Qui volunt principes facultates diſcuſdi ſedibus, atque anteriorem Cerebri partem à phantaſia, poſteriorem à Memoria, & mediam ab Intellectu occupari, obtrudnnt harum vnius actionem fræquenter lædi, reliquarum actionibus illæſis. Quod certe concludit potius facultates illas diuerſis gaudere temperamentis, vt voluit Gal. quam eſſe ſedibus diſtinctas vt exiſtimauit Auicenna: cum videamus actionem vnius, aut alterius quatuor facultatum naturalium plerumque vitiari citra

Digitized by Google

ri citra reliquarum labem: læditur ſiquidem interdum concoctio, illæſis attractione, retentione, & expulſione, & tamen omnes iſtæ actiones in vna eademque parte perficiuntur. Nec propterea putandum eſt, in vna eademq; particula plures ſimul eſſe, & diuerſas temperaturas, ſed illam potius quæ vitiata eſt reſpectu vnius actionis, ſaluam & integram eſſe alterius ratione. v. g. humidior intemperies Cerebri, quæ memoriæ & intellectui aduerſatur, eorumdemque actiones ſubuertit, & corrumpit, Iuuare poteſt phantaſiam, & eiuſdem functionem præſtantiorem reddere: huius rei cauſa eſt quia imaginatio humida, memoria ſicca, & intellectus media inter vtramque gaudet cerebri temperatura; ob hanc eandem rationem temperies paulo ſiccior iuuat retentricem, & expultrici nocet facultati. Facultas vitalis influxu ſuo a corde per arterias vniuerſo corpori vitam impertit, vel potius vitam in ſingulis partibus latentem, & quaſi languentem penuria caloris inſiti, viuifici influentis ſui caloris appulſu ſuſcitat, & veluti actuat, a Græcis θυμοειδής, καὶ παθητικὴ dicitur, quod ei attribuantur animi pathemata, lætitia, triſtitia, amor, odium, ira, & ſimilia, quæ quidem forma-

liter dicuntur eſſe in cerebro, & materialiter tantum in corde: quoniam ratio prius iudicat illatam fuiſſe iniuriam, quam accendatur ſanguis circa Cor, aut moueatur iracundia, mota autem rationis iuſſa non raro tranſgreditur: vt patet exemplo Medeæ ſuperius allato. Idem de cœteris paſſionibus ſentiendum. Facultas naturalis in nutricem, auctricem, & generatricem ſecatur: nutrice viuens alitur totoque vitæ curſu, quod iugiter fit triplicis ſubſtantiæ defluuium reparat; Auctrice iuſtam, & debitam acquirit omnium partium magnitudinem: Generatrice ſibi ſimile producit, & quam non poteſt in indiuiduo, in ſpecie aſſequitur æternitatem. Ideoq; Gal. cap. 5. lib. 1. de facultat. natural. contendit generatrice partes omnes formari, auctrice formatas ad iuſtam perduci magnitudinem, & nutrice quamdiu fieri poteſt perdurare. His tamquam principalibus naturæ potentiis, aliæ quatuor ſubminiſtrant, & ancillantur, attractrix ſcilicet, qua familiare, & conueniens vnicuique parti attrahitur alimentum, retentrix, qua idem attractum in membro retinetur, quoad vi cōcotricis, ſeu alteratricis parti apponatur, aſſimiletur, & in eiuſdem naturam tranſmutetur:

Digitized by Google

tur: & expultrix, qua excrementa, & inutilia, quæ in naturam partium conuerti nequeunt, excluduntur, ne in corpore morando computreſcant, morboſoſq; procreent affectus. Quod ad virtutem πλαςικὴν, & formatricem ſpectat, illa generatrici tantum famulatur: ideoq; Gal. loco proxime citato, diſtinguit greneratione̅m ab accretione, & nutritione in hoc, quod generatio ſimplex quidem actio non ſit, ſed ex formatione, & alteratione compoſita: vt enim fiat os, inquit, neruus, vena, & reliquarum partium quælibet, alteratam eſſe oportet ſubſtantiam, ex qua animal fit, vt vero congruentem obtineat configurationem, effingi eandem opportet materiam, quæ alteratur. Appetentia naturalis, quæ ſingulis partibus inſita eſt, pertinet ad attractricem facultatem, quę nunquam operatur niſi appetitu incitata naturali. Secretio, & diſtributio non vnius facultatis ſunt operæ: ſecretio ſiquidem eſt expultricis, & retentricis, vt diſtributio expultricis, & attractricis: hæc fit diſtribuente membro expellente, quod ſibi eſt oneri, & attrahente membro cui fit diſtributio, quod ſibi neceſſarium eſt: illa vna eademque parte perficitur retinente, quod vtile eſt, & expellen

ſit inutile. Vt hæc omnia manifeſtiora fiant de actionibus differendum eſt.

CAPVT VII.

DE ACTIONIBVS.

ACtionem, ſeu ἐνέργειαν definit Gal. Cap. x. de ſympt. differentiis, τοῦ ποιοῦντος κίνησιν, motum facientis. & cap. 1. lib. 1. de locis affectis. In hoc diſtinguit actionem ab vſu, quod actio in motu conſiſtat, nec partibus conueniat niſi quando operantur, vſus contra etiam in feriantibus, & ab omni opere ceſſantibus inueniatur, imo & in demortuis, vt docet cutis qua corpus tegitur vniuerſum, & quibus fulciuntur carnes, oſſa. In hoc etiã differt actio ab opere, quod opus, vt quid perfectũ, & permanens actionem ſequatur, vt Chylus, ſanguis, caro, & ſimilia. Quid multis, vſus actioni inſeruit, opus eiuſdẽ eſt conſectarium. Non tamen inficior ipſã actionẽ laxiori vocis ſignificatu opus nũcupari: sũt etenim, chylificatio, ſanguificatio, & aſſimilatio naturæ opera, ſed tantũ cõtendo opus propriè di-

ctum non eſſe actionem: Et quamuis tot ſint actiones, quot facultates: ſolent tamen Authores, vitales ſub naturalibus complexi, duas primas illarum conſtituere differentias, quarum vna animalis eſt, in ſenſitiuas, motiuas, & rectrices diuiſa: quæ in hoc à naturalibus diſtinguntur, quod volũtariæ ſint, & à libero noſtro pendeat arbitrio. Senſus externi, externorum obiectorum ſpecies recipiunt, vel per medium externum vt viſus, auditus, & olfactus, vel per internum, vt guſtus, & tactus: ideoque patiendo dicuntur operari; nec immerito, cum ab obiectis immutentur: agunt tamen prout de conceptis ſpeciebus iudicant, & iudicatas ad ſenſum communem, & phantaſiam tranſmittunt, ſiue ſpecies illæ ſint obiectorum propriorum, quæ peculiaria ſunt ſingulis ſenſibus, vt color viſui, ſonus auditui, odor olfactui, guſtui ſapor, & tactiles qualitates tactui: quæ ideo dicuntur obiecta propria quod a propriis ſuis ſenſibus percipiantur, vt color a ſolo viſu, ſonus a ſolo auditu, & ſic de cœteris: ſiue ſpecies illæ ſint obiectorum communium, figuræ ſcilicet magnitudinis, numeri, motus, & quietis: quæ ideo dicuntur obiecta communia, quod in plures ſenſus cadant, figura ſiquidem, & viſu,

ſu, & tactu dignoſcitur: quemadmodum magnitudo, quies, & numerus: ſiue denique ſpecies ſint ſenſibilium per accidens, & eorum quę per accidens à ſenſibus dignoſcũtur. Cuius modi ſunt res omnes a ſenſibilibus qualitatibus diuerſę, & cũ eiſdẽ aliquo modo coniũctæ. Phantaſia non ſolũ ſpecies à ſenſibus, purificatas, & a materię cõmercio aliquo modo abſtractas, recipit, & dignoſcit, ſed etiam multa ſua vi effingit, ficta q; non minus, quam rerum ſpecies repreſentat intellectui. Intellectus verũ à falſo, vtile ab inutili; bonum à malo diſcernit, & vi voluntatis, cui inſeparabili nexu coniunctus eſt, bonum appetit, malum auerſatur. Huic appetitui ſedulo obſequitur vis motiua. Quod ad memoriam attinet, in eam veluti in penum reponuntur ſpecies ab inllectu conceptæ, atq; in eadem ad vſum reſeruantur. Nec mirũ ſane tot, tamq; diuerſas, ab vno eodemq; ſpiritu fieri actiones, qui profecto ab organis, in quæ influit diuerſam adipiſcitur operandi potentiam, eodem plane modo quo radii ſolares per vitra variè colorata tranſeuntes, colorum diuerſitatem. Naturalium functionum aliæ ſunt omnibus partibus communes, aliæ ſunt officiales, quæ à certis tantum, & determi-

mi-

minatis partibus eduntur, idque in gratiam totius corporis. Communes ſunt auctio, & nutritio, & quæ his inſeruiunt, attractio, retentio, concoctio, & expulſio, quarum beneficio pars quælibet iuſtam acquirit magnitudinem, nutritur, & quæ caloris in humidum actione deperit, ſubſtantiam inſtaurat. Actiones officiales, vel indiuidui conſeruationem, vel ſpeciei propagationem reſpiciunt: quę indiuiduo ſunt neceſſariæ, ad quatuor commodè reduci poſſunt, attractionem videlicet, retentionem, concoctionem, & expulſionem, per quas hic, officiales actiones intelligimus, quæ à membris quibuſdam determinatè fiunt, totique corpori aliquem præſtant vſum; non priuatas illas, de quibus antea loquti ſumus, & quæ indiſcriminatim omnibus partibus conueniunt. Attractio hæc officialis fit; in partibus naturalibus, per fibras rectas; retentio per obliquas, expulſio per tranſuerſas, & concoctio, (chylificationem intelligo, & ſanguificationem) per temperiem, & idioſyncraſiam ventriculi, & hepatis: quo modo etiam accedente dilatationis, & contractionis motu, Cor vitales, & Cerebrum animales ſpiritus conficere credendum eſt: quorum productionem ſub altera-

tione,

tione, & concoctione comprehendo, quamuis ad triplicem illam coctionem non pertineat, quæ ad nutritionem ordinatur partium. Dixi attractionem, & expulſionem in partibus vere naturalibus, fieri per fibras rectas, & tranſuerſas; quoniam in membris vitalibus attractio, per dilatationẽ, & expulſio per compreſſionem fieri cernimus, in arteriarum pulſu, & in reſpiratione, quę ex dilatatione, ad aerem in refrigerium cordis attrahendum, & contractione, ad fuliginoſam materiam expellendam conflantur. Pulſum a reſpiratione diſtingunt authores; quod actio pure ſit naturalis, nec vllo modo à noſtro pendeat arbitrio, reſpiratio autem mixta ſit, & partim naturalis, partim animalis: naturalis, quoniam præcipua illius cauſa, conſiſtit in corde, caloris ſui contemperationem requirente, & fuliginis expulſionem; animalis, quia non fit ſine muſculorum motu, thoracis, pręſertim, vt docet anatome: imo multi exiſtimant liberam, & placidam reſpirationem, ſolius diaphragmatis perfici ventilatione, violentiorem vero reliquorum indigere muſculorum opera. Nec illud, quod narrat Galen. de barbaro illo ſeruo ſpiritum vſque ad ſuffocationem cohibente,

con

concludit actionem hanc eſſe pure voluntariam: quoniam quæcunque mixtæ ſunt actiones, poſſunt ad tempus aliquod a nobis impediri, licet non abſque corporis detrimento: nec putauit Gal. quidquid contra ſentiãt nonnulli, actionem hanc pure eſſe animalẽ; nam verbis conceptis docet com. ad aph. 42. ſect. 2. muſculos thoracis vrgente neceſſitate, & non influente vi animali a cerebro, facultate cordi inſita moueri. Præter reſpirationem aliæ numerari ſolent ab authoribus actiones mixtæ, quę partim ſunt animales, partim naturales, vt fœcum, & vrinarum eiectio, & erectio penis: quæ partim a voluntate noſtra, partim à natura, perficiuntur. Notandum hic, naturalem cuiuſq; membri functionem, totam à cognata, & ingenita parti virtute procedere, eodem plane modo, quo attractio ferri a magnete: at inſtrumenta, & membra, quibus actio animalis perficitur, & editur; cognatum, & ingenitum ſenſus, & motus principium non habent, ſed iiſdem aliunde, a cerebro ſcilicet, veluti lumen a ſole, per neruos ſuppeditatur: eſtque hęc cauſa, cur membra naturalia, nunquam per ſolam ſympathiam laborent: in quo maximè diſtinguuntur a membris animalibus: vt pul-

chre docet Gal. lib. 1. de locis affectis cap. vlt. non procul a calce. Ex partibus naturalibus, aliæ alimentorumq́ ingeſtioni dicatæ ſunt: vt in perfecto animali os, & œſophagus, alię concoctioni, vt ventriculus, in quo fit prima concoctio χύλωσις dicta, hepar in quo fit ſecunda, αἱμάτωσις ſcilicet, ſeu ſanguificatio, & ſingulæ partes, in quibus fit ὁμοίωσις, ſeu aſſimilatio. Verum tertia hæc concoctio, officialis non eſt vt duæ præcedentes. Aliæ partes ordinatæ ſunt ad diſtributionem, vt inteſtina, tenuia præſertim, & venæ meſaraicæ, quibus a ſtomacho in hepar confectus chylus tranſportatur, & ipſæ venæ, quibus ſangnis ab hepate ad ſingulas corporis partes nutriendas, veluti per totidem tubulos diſtribuitur. Si venis hiſce, aliqua inſit ſanguinis, aut inteſtinis, chyli conficiendi potentia, eã habent procul dubio ab hepate, & a ventriculo per ἐπιρροὴν, & influxũ, vt loquũtur. Alię deniq; ſunt partes, excrementorũ expulſioni deſtinatæ, quę ex ſingulis cõcoctionibus proueniunt. Primę concoctionis excrementa craſſiora, per inteſtina, ſecũdæ per renes, & veſſicã, vel cyſtidem felleã, & inde per ductũ cholidochũ in inteſtina, vel deniq; per lienẽ, & ſubinde per venas hæmorroidales excer-

excernũtur. Tertię deniq; coctionis excremẽta, ſi inutilia ſint, vacuantur, vel per ſudores, vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel relabuntur ad vias vrinarias, & per eaſdem eliminãtur. Si verò ſint vtilia, & reliquiæ potius, quam excrementa, ad vaſa feruntur ſpermatica, & vna cum ſanguine in dictis vaſis elaborantur, atque in ſemen, generationis noſtræ principium principale conuertuntur, ideam quam ex ſingulis partibus detulerunt, firmiter retinentia. Renes per venas emulgẽtes, ſerum vna cum ſanguine, quo nutriuntur, a maſſa trahunt ſanguinea, non vt fruantur tracto, hoc enim minimè neceſſarium eſt in attractione officiali, ſed vt illud potius ad veſicam, per vreteres demandent: vt ſubinde a corpore, vi expultrice veſicæ, excernatur. Inteſtina non fibris tranſuerſis, ſed orbicularibus, & motu, quem periſtalticum vocant, qui fit contractis ſuperioribus, & inferioribus villis dilatatis, craſſiora primæ coctionis excrementa excludunt. Quæritur hic nunquid eodem modo, ventriculus nutriatur chylo, quo hepar ſanguine, quem conficit? Ad quod reſpondeo, ventriculum quidem chylo recreari, & ſatiari ſecundum appetentiam animalem, non au-

tem nutriri: nam illarum facultatum beneficio, quas communes habet cum reliquis partibus, proprium ſibi nutrimentum ex venis allicit, retinet, elaborat, & ſi quod ſuperfluum ſit a ſe abigit, atque ad huiuſmodi alimenti attractionem incitatur appetitu naturali, omnibus membris inſito, non item animali, quo eſculenta, & potulenta appetit, & qui ſuperiori eiuſdem orificio, ſtomacho nuncupato, præſertim inſidet, ex inanitionis, ſuctioniſq; ſenſu proficiſcens: in cuius ſane gratiam ſexti neruorum paris præcipue ſoboles, ventriculi orificio, conterminiſq; ipſi partibus, implicauit, & intexuit natura ramulos. Vnde ſenſus exquiſitiſſimus, & viuenti ſumme neceſſarius: vt ſcilicet eius beneficio ventriculus, qui eſt quoddam commune omnium particularum promptuarium, ad cibum, & potum appetendum excitetur. Imo tanta eſt eius appetentiæ vis, vt alimentum repetat ex reliquo corpore, venis pręſertim meſaraicis, ſi ſine cibo diu manere cogatur. Porro ſtomachus, ſeu ſuperius os ventriculi, dupplici irroratur humiditate, vna craſſa, & pingui, altera aquea magis, & rorida; huius penuria, ſeu defectus, ſitim, illius vero indigentia famem excitare ſolet; ideo-

que

que fames calidi, & ſicci, ſitis vero, frigidi, & humidi appetitus definitur. Et hæc cauſa eſt, cur interdum ſitis ſine fame, interdum fames ſine ſiti contingat. Vtraque inanitionis, & ſuctionis ſenſum, licet diuerſæ humiditatis, conſequitur: & vtramque anteuertit, ſingularum partium e venis attractio, venarum ab hepate, hepatis a meſaraicis venis, & venarum meſaraicarum e ventriculo, cuius ſuctio, & attractio vltra eiuſdem os ſuperius tranſire nequit. Sed nunc de actione officiali, ad propagationem ſpeciei, dicendum, quę duplex eſt, vna ad productionem fętus, altera ad producti in ætate tenella, qua veſci nequit ſolidioribus alimentis, nutritionem. Hęc nihil aliud eſt, quam lactis generatio: quod in mammis, vt ſemen in teſtibus, ex ſanguine procreatur, ad glandulosam ſcilicet illarum ſubſtantiam delato, & ab eadem, contactu, & inſita quadam mammarum vi dealbato, & aliquo modo aſſimilato: illa generatio, in ſcholis nuncupatur: & vt antea diximus, non vna eſt, & ſimplex actio, ſed ex alteratione, & figuratione compoſita. Videndum ergo quodnam ſit alterationis, & conformationis huiuſce ſubiectum? quæ cauſa efficiens? & quis finis, ſeu terminus ad

quem?

Digitized by Google

quem. Materia quæ primum alterationem, & deinde conformationem ſubit, eſt ſemen ab vtroque parente procedens, quidquid contra ſentiat Ariſtoteles, & ſanguis menſtruus, qui ſingulis menſibus, in mulieribus ſanis, & non grauidis, per vaſa vteri excerni ſolet: quoniam enim fœmina ob frigidiorem qua prædita eſt temperiem, non poteſt ſanguinem, qui in hoc ſexu maximè redundat, diſſipare, periodicam hanc molita eſt natura ſanguinis euacuationem: quæ quidem ceſſat, poſt conceptionem, & qui antea ſingulis menſibus ἀθρόως, & confertim fluerè ſolebat, ſenſim & continuò ad fœtus conformationem, & nutritionem, per vas vmbilicale attrahitur. Semen autem ſecundum Gal. lib. 1. de ſemine Cap. 5 generatur ex ſanguine, in vaſis ſpermaticis concocto, & ſi ab omnibus partibus deciduum ſit, hoc fit non tam ratione molis, & ſubſtantiæ humoralis, quam virtutis, & ſubſtantiæ ſpirituoſæ; teſtes ſiquidem & ipſa vaſa ſpermatica, vim habent σπερματοποιητικὴν, eamq; ſufficientem ad ſeminis productionem: vt non opus ſit humoralem illius ſubſtantiam, in aliis partibus elaborari. Quod autem Claudus claudum generet, & mutilus: mutilum hoc non

tam

tam humorariæ ſeminis materiæ, quam ſpirituoſæ ideꝗ partium vectrici, attribuendum eſt. Ex ſeminis craſſamento, partes generantur ſpermaticæ, & veluti omnium membrorum ducuntur ſtamina, quibus ſanguis menſtruus, veluti medium ſubtegmen inſeritur, atque intertexitur. Fit autem textura hæc in vtero, qui locus fœtus conformationi aptiſſimus, vim quandam obtinere videtur, actuandæ virtutis generatricis, quæ ſpirituoſæ ſeminis ſubſtantiæ inhærens, mouens hic, & cauſa efficiens exiſtit, & ab ea ſemen, poteſtate animatum dicitur: quod ſimile producere quæat animali, a quo promanauit. Vis hæc generatrix, virtutes duas inferiores, & quaſi ſubalternas complectitur, alteratricem vnam, formatricem alteram: Alteratrice variè diſponitur, & alteratur materia, atque ad vniuſcuiuſque partis formam recipiendam idonea redditur; vnde tot ſunt illius differentiæ, quot ſunt partium. Hinc alteratrix alia eſt ὀστοποιητικὴ, quæ os efficit, alia νευροποιητικὴ, quæ neruum, & ſic de cœteris. Materiam hanc, vbi vi virtutis alteratricis, in ſubſtantiam partiū ſimilarium conuerſa eſt: vt apta & idonea ſit cuiq; inſtrumentorum conformationi; formatricis actione

figurari,

figurari, & effingi oportet; idque multifariam, pro natura, & conditione membri cuiuſque: os ſiquidem ſphæricum, requirit caput, rectum tibia, coſtæ ſemicirculare: & pars quælibet figuram actioni, & vſui conuenientem. Fit autem varia hæc, & multiplex partium configuratio ad hoc vt omnes ſimul, apte, & concinne, ad totius concurrant conſtitutionem; quod quidem in brutis, anima ex traduce, & e potentia materiæ educta informat; homo vero diuinioris originis, formam obtinet, quæ materiæ iam diſpoſitæ, & præparatæ, extrinſecus aduenit, & cœlitus infunditur. Eſtque hic finis, & terminus, ad quem generationis, quem fœtus aſſequitur, ſtatim poſt partium, & totius configurationem. Ad huius rei pleniorem notitiam; tres potiſſimum aduertendæ ſunt, quæ fœtui contingunt in vtero mutationes, figuratio ſcilicet, motus, & partus, ſeu excluſio; quorum tempora, ita inter ſe proportionata ſunt: vt tempus motus, duplum ſit ad tempus figurationis, & tempus partus triplex, ad tempus motus. Adeo vt ex tempore figurationis, reliquorum tempora pendere videantur. Habet autem figurationis terminus maximam latitudinem, & a 30. die ad 50. extenditur (loquor

quor

Digitized by Google

quor hic de figuratione manifeſta, & perfecta, non de obſcura, & imperfecta, quæ 7. die poſt conceptionem, in fœtu, aquæ frigidæ, iniecto apparet, vt vult author libri de carnibus) Qui ergo die 30. figuratur, mouetur 60. & excluditur 180. qui dies tertius eſt ſeptimi menſis, & vigeſimus quintæ quadragenarię. Qui figuratur 50. die, mouetur 100. & 300. excluditur, circa diem quartum, vel quintum menſis vndecimi, vel circa finem decimi, die nempe 280. ſi cum Hipp. lib. de ſeptimeſtri, & octomeſtri partu, menſes ſupputemus coniunctionis, qui ſunt 29. dierum & dimidii, detrahemuſque de primo menſe dies 15. eſtque hæc vltima pariendi meta, a iuriſconſultis propter authoritatem Hipp. conſtituta, quæ vt iam diximus ad principium vndecimi menſis accidit, vt prima partus vitalis, in initium ſeptimi; qui ab his extremis, ad mediam metam propius accedunt, vitales magis, & ſalubriores exiſtunt, ſi octauum menſem euitent; nam partus octimeſtris raro vitalis eſſe ſolet, tum quia incidit in ſextam quadragnariã, quæ eodem plane modo, in partu; quo dies ſextus in criſi, tirannidem exercet, iuxta placita Hipp. tum quia fœtus exitum molitur ſeptimo men-

ſigurari, & effingi oportet; idque multifariam, pro natura, & conditione membri cuiuſque: os ſiquidem ſphæricum, requirit caput, rectum tibia, coſtæ ſemicirculare: & pars quælibet figuram actioni, & vſui conuenientem. Fit autem varia hæc, & multiplex partium configuratio, ad hoc vt omnes ſimul, apte, & concinne, ad totius concurrant conſtitutionem; quod quidem in brutis, anima ex traduce, & e potentia materiæ educta informat; homo vero diuinioris originis, formam obtinet, quæ materiæ iam diſpoſitæ, & præparatæ, extrinſecus aduenit, & cœlitus infunditur. Eſtque hic finis, & terminus, ad quem generationis, quem fœtus aſſequitur, ſtatim poſt partium, & totius configurationem. Ad huius rei pleniorem notitiam; tres potiſſimum aduertendæ ſunt, quæ fœtui contingunt in vtero mutationes, figuratio ſcilicet, motus, & partus, ſeu excluſio; quorum tempora, ita inter ſe proportionata ſunt: vt tempus motus, duplum ſit ad tempus figurationis, & tempus partus triplex, ad tempus motus. Adeo vt ex tempore figurationis, reliquorum tempora pendere videantur. Habet autem figurationis terminus maximam latitudinem, & a 30. die ad 50. extenditur (lo-

quor

quor hic de figuratione manifeſta, & perfecta, non de obſcura, & imperfecta, quæ 7. die poſt conceptionem, in fœtu, aquæ frigidæ, iniecto apparet, vt vult author libri de carnibus) Qui ergo die 30. figuratur, mouetur 60. & excluditur 180. qui dies tertius eſt ſeptimi menſis, & vigeſimus quintæ quadragenariȩ. Qui figuratur 50. die, mouetur 100. & 300. excluditur, circa diem quartum, vel quintum menſis vndecimi, vel circa finem decimi, die nempe 280. ſi cum Hipp. lib. de ſeptimeſtri, & octomeſtri partu, menſes ſupputemus coniuuctionis, qui ſunt 29. dierum & dimidii, detrahemuſque de primo menſe dies 15. eſtquē hæc vltima pariendi meta, a iuriſconſultis propter authoritatem Hipp. conſtituta, quæ vt iam diximus ad principium vndecimi menſis accidit, vt prima partus vitalis, in initium ſeptimi; qui ab his extremis, ad mediam metam propius accedunt, vitales magis, & ſalubriores exiſtunt, ſi octauum menſem euitent; nam partus octimeſtris raro vitalis eſſe ſolet, tum quia incidit in ſextam quadragnariā, quæ eodem plane modo, in partu; quo dies ſextus in criſi, tirannidem exercet, iuxta placita Hipp. tum quia fœtus exitum molitur ſeptimo men-

ſe, qui ſi impediatur ab aliquo illius conatibus reſiſtente, fatigetur neceſſum eſt, ideoq; quieſcere debet tota ſexta quadragenaria, vt recollectis viribus, ſeptima, quę totum nonum menſem, & initium decimi includit, nouo & fœlici prorumpat impetu: addunt Aſtrologi infelicem eſſe menſem octauum, ob prædominium Saturni. Eſt autem partus nonimeſtris, omnium fœliciſſimus, & fræquentiſſimus. Si ſeptimam hanc quadragenariam excedat peruenıatq; vel ad finem decimi, vel ad principium vndecimi menſis, ſignum eſt fœtum propter aliquam imbecillitatem, conſtitutum à natura terminum præteriiſſe. Menſes hic vt diximus computandi ſunt lunares, non apparitionis, non medici, non peragrationis, ſed coniunctionis, quorum quilibet 29. dies naturales, & duodecim horas complectitur. Vt colligere eſt ex Hipp. libro de octimeſtri partu, vbi docet in hac ſupputatione duos menſes efficere dies 59. Quod ſi Hipp. alibi menſes iſtos ſolares appellare videatur, hoc facit quia multum a ſolaribus non differunt, vel quia menſurantur motu Lunæ, a Sole ad Solem, vel quod idem eſt a receſſu Solis, ad reditum eiuſdem. Et hæc de actionibus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

DE SPIRITIBVS.

DIctum fuit cap. 6. huius libri, facultates, quibus noſtrum corpus regitur, non poſſe ſine ſpiritibus operari; & a diuino Sene ſpiritus ἐνορμῶντα nuncupantur, quod cauſæ ſint omnium motuum, & impetuum, qui in corpore fiunt; adeo vt ad actiones perfectè cognoſcendas, neceſſaria ſit ſpirituum notitia; de quibus hoc ordine diſſerendum. Primo videndum eſt quid ſpirituum nomine intelligant medici? deinde an reperiantur in corpore animalis, hominis præſertim? tertio quid ſint, ſeu quænam ſit illorum natura, & eſſentia? Et denique explicandæ ſunt illorum differentiæ. Quod ad primum attinet; per ſpiritum non intelligunt more Philoſophorum, & Theologorum, ſubſtantias incorporeas, ſeu formas abſtractas, ſed corpora quædam tenuiſſima, rariſſima, & leuiſſima, quæ facile, & ſubito ſingulas corporis noſtri particulas peruadere, & penetrare valeant. In cuius ſententiæ fidem, ſcite admodum vt ſo-

Digitized by Google

let, ſic nobis occurrit Gal. lib. 3. de facult. nat. cap. 14. leuiſſimum, & tenuiſſimum eorum, quæ ſunt in corpore, primum omnium eſt ſpiritus, ſecundo halitus, tertio quod in ſanguine maxime fuerit elaboratũ, & extenuatum. In hac eadem ſignificatione vſurpatur nomen ſpiritus ab Ariſtot. in lib. de ſpiritu innato, & cap. 3. lib. 7. de generatione animalium. Spiritus nobis ineſſe, primum confirmant repentinæ, & momentaneæ, quibus obnoxii ſumus, mutationes, quę a nulla alia cauſa, quam a celeri ſpirituum motu pendere poſſunt; vt cernere eſt in animi deliquio, in quod, cito incidimus, & a quo repente excitamur, reuocatis quippe, ad corporis habitum, qui antea nimis concentrati fuerunt ſpiritus: vel recollectis, qui nimium fuerunt diſperſi; hoc deinde demonſtrat, neruorum opticorum cauitas, quæ ad nullum alium vſum, quam ad ſpirituum animalium, in oculos influxus ordinatur: imo & ſubita pupillæ dilatatio, quę in aperto apparet oculo, dum alter clauditur. Sed quoniam nemo niſi vecors, & ſpiritus expers, ſpiritum nobis ineſſe dubitat, relicta fuſiore huius probatione, ſpirituum naturam, & eſſentiam indagemus. Doctiſſimus, & elegantiſſimus Fer-

nelius

nelius cap. 2. lib. 4. phyſiol ſpiritum definit, corpus æthereum, caloris, facultatumq; ſedem, ac vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentum. Hæc definitio dupplici nomine carpitur ab authoribus; primo quia ſpirituum ſubſtantia cœleſtis & ætherea non eſt, ſed elementaris, vt patet ex eo quod perpetuæ mutationi ſit obnoxia: deinde quia vt ante diximus, ſpiritus, non ſedes ſunt, ſed inſtrumenta facultatum. Non tamen negandum eſt, ſpiritus eſſe cęleſtes, & plane diuinos, ratione muneris, & officii, in quantum videlicet ſunt ſub imperio animæ, illique famulantur: qua ratione, natiuum quoq; calorem cœleſtem eſſe, & æthereum concedimus; quamuis originis ratione, & ſecundum propriam ſuam naturam ſit elementaris. Verum vt ad rem propius accedamus: dicimus ſpiritum eſſe ſubſtantiam corpoream, tenuiſſimam, & leuiſſimam, ex puriſſima, tenuiſsima, maximeque elaborata ſeminis, vel ſanguinis portione genitam, vt primum ſit animæ, eiuſque facultatum, ad actiones obeundas inſtrumentum. Dixi ſpiritum præſertim ex ſemine, & ſanguine generari, quoniam aeris inſpiratu potius recreatur, quam procreatur; non tamen nega-

Digitized by Google

rem aerem cōcurrere ad illi us productionem?
Quod ſpiritus ſit primū animæ inſtrumētum, his verbis docet Gal c, 3. lib 7 de placitis, quia (inquit) detracto anatomice capitis oſſe, in animante viuo, deinde ablata craſſa meninge, tertio vulnerato cerebro, non prius læditur ſenſus, & motus, quam vulnus ad aliquem ventriculorum penetrarit, aut quam aliquis illorum collidatur, ſed ſtatim vbi aliquem illorum attigerit, aut illorum aliquis fuerit colliſus; ſubito ſtupeſcit animal, & ſenſu, motuque priuatur: neceſſe eſt ergo, ſpiritum, qui in ventriculis cerebri continetur, vel eſſe ipſam animam, vel primum animæ inſtrumentum. De ſpirituum numero, & differentiis, varia, & multiplex eſt authorum ſententia, alii etenim dupplicem conſtituunt, ſpiritum: vnum inſitum, & alterum influentem, illum parti cuiq; peculiarem, hunc aduentitium, & a principe parte, tanquam a fonte promanantem arbitrantes. Alii contendunt omnem ſpiritum eſſe influentem, atque vnum, eundemque ſecundum ſpeciem, & originem, varium vero, & multiplicem, ratione actionum quibus edendis inſeruit. Rurſus qui inſitum, & influentem admittunt ſpiritum, inter ſe non conſentiunt.

ſentiunt. Nam nonnulli triplicem admittunt ſpiritum influentem, a tribus partibus principalibus ortum, naturalem, vitalem, & animalem; nonnulli duplicem duntaxat, vitalem, a corde, & animalem, a cerebro, naturalem penitus aſpernati. Ad probandum autem, quod dentur ſpiritus inſiti, duo celebres in medium afferuntur Gal. contextus; vnus ex cap. 9. lib. 5. de ſimpl. medic. fac. Vbi hæc habentur verba; dicimus in omnibus partibus animalis, hunc eſſe ſpiritum, non tamen neceſſe eſt, vt vbique ſimilis ſit, & contineri etiam dicimus in vacuis ſingularum partium ſpatiis, non exiguam eius ſubſtantiam, ſeu potius materiam illius generationi idoneam, quæ etiam per ſe, naturalibus functionibus edendis ſit vtilis. Alter contextus habetur comm. 16. ſect. 1. aph. vbi docet Gal. ad ſubſtantiam noſtram primigeniam conſtituendam, tria concurrere corpora, ſpiritum ſcilicet, ſanguinem, & ſeminalem humiditatem. Hiſce authoritatibus Gal. venit in ſubſidium, ſequens ratio; certum eſt humidum illud, quod primigenium authores appellant, quodque ex principiis noſtrę generationis concretum, calori cœleſti, veluti oleum puriſſimum, eſt pabulo, ſingu-

ſingulis partibus eſſe congenitum; licet in aliis vberius, in aliis parcius exiſtat. Atqui humidum hoc, proculdubio, multis perfuſum eſt ſpiritibus: generatur ſiquidem, vnanimi omnium conſenſu, ex ſpirituoſa ſeminis portione. Ergo concludendum eſt dari ſpiritus inſitos; quoniam tamen ſpiritus iſti, in ſingulis partibus languerent, nec ſufficerent ad actiones edendas; imo euaneſcerent, niſi perpetuo aliorum influxu excitarentur, & quaſi refocillarentur: periclitantibus fert ſuppetias prouida, & ſagax natura, atque è partibus nobilibus, cerebro præſertim, & corde, in vniuerſum corpus, copioſos continuo diffundit ſpiritus. Dixi præſertim à cerebro, & à corde, quia, vt ſuperius annotauimus, plerique exiſtimant nullum ſpiritum influere ab hepate. Primo, quia facultas naturalis inſita eſt ſingulis partibus, ſatiſque potens ad partium naturalium actiones edendas, vt colligere eſt ex Gal. cap. 9. art. par. vbi dicit partes purè naturales, neque regi, neque regere. Et cap. vlt. lib. 1. de loc. affect. non procul à calce, docet membra naturalia, in hoc ab animalibus diſtingui, quod non laborent per ſympathiam. Deinde, quia non apparet in hepate cauitas, in

qua

qua ſpiritus contineri poſſint. Tertiò, quia venæ, cum ſimplice conſtent tunica, ineptæ ſunt ſpiritibus continendis. Quartò, quia venæ non pulſant. Et denique, quia ſpiritus naturalis, ſingulis partibus inſitus, vitalis ſpiritus influxu vegetatur, & actuatur. Gal. hac in re anceps, & dubius eſſe videtur, vt patet ex 12. Meth. cap. 3. vbi in hæc verba erumpit. Ergo, animalis ſpiritus, cerebrum veluti fontem eſſe, clare oſtẽdimus: qui partim ex inſpirato aere, partim ex eo, quod reticularis plexus ſuppeditat, irrigatur, atque alitur. Spiritus vitalis non æque euidens eſt enarratio: Sed tamen in corde, & arteriis contineri, eundemque inſpirato aere, & ſanguine nutriri, à ratione alienũ non eſt. Quod ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus ſit, is in hepate, & in venis continebitur. Hanc ſequitur ſententiam Auerroes lib. 1. colliget ſpiritus, inquit, duo ſunt, vnus apparens in corde, & alter apparens in cerebro. Nullus in hepate ad ſenſum apparet. Et certe ſi nomen ſpiritus ſumamus propriè, extra controuerſiam eſt, nullum dari naturalem, ab hepate influentem: quamuis ab eodem viſcere, ſanguis, qui ad ſingulas partes alendas delega-

tur, ſecum deferat vaporem quendam craſſiuſculum, halituoſum, & calidum, quem fortaſſis laxiori vocis ſignificatu, ſpiritum nuncupare licet: vt propriè loquendo, omnis ſpiritus naturalis inſitus ſit, nullus influens; animalis, & vitalis contra, non videntur partibus inſiti, ſed potius à ſuis principiis influere, aut ſi inſiti ſint, non poſſunt, vt naturales operari, niſi ab influentibus, veluti nuntiis quibuſdam pulſati, excitentur. Vnde fit, vt præciſis neruis, tota illa pars, quæ à cerebri continuitate, per ſectionem fuerit ſeparata, ſtupeſcat confeſtim, & priuetur motu, & ſenſu: orbenturq; arteriæ pulſu, ſi inciſæ fuerint, aut interclusæ laqueo. De hac re legendus eſt Gal. cap 4. lib. 7. de placitis. Vbi ſpeciatim inquirit, vtrum ſpiritus animalis, perinde vt in cauis cerebri continetur, ita quoque ſingulis neruis, velut inſitus, innatuſque maneat, ad ſenſum, & motum partibus ſuggerendum, exciteturque, ab alio a fonte promanante, eoq; tamquam nuntio quodam pulſetur? an inſitus quidem minime ſit, ſed eo tempore, quo membrum aliquod mouere volumus, a cerebro de nouo influat, in quo quidem generatur, partim ex ſpiritu vitali,

sali, in plexu, ſeu reticulari, ſeu choroide, ſeu vtroque amplius elaborato, magiſq; attenuato, partim ex aere per nares, inſpiratione ad cerebrum attracto. Spiritus autem vitalis, vt antea diximus, præſertim in ſiniſtro cordis ventriculo generatur, imo in ipſis arteriis poſcente neceſſitate; idque ex tenuiſſimo, & vaporoſo ſanguine, arterioſo dicto, qui non ſolum in hunc vſum, ſpiritus vitales, continuo concomitatur, ſed etiam ad hoc, vt impediat, ne ipſe ſpiritus, nimia ſua tenuitate per arteriarum poros diffluat. Patent etenim hi pori continuo in corpore viuente, ad conſeruandum mutuum illum inter venas, & arterias conſenſum, quo venæ, arteriis ſanguinem, & arteriæ venis, vitalẽ ſpiritum impertiunt. Sanguis autem iſte tenuis, & ſubtilis, ex quo fiunt ſpiritus in ſiniſtro cordis ſinu, antea elaboratus fuit in dextero eiuſdem viſceris ventriculo: in quem vena caua dehiſcens, & quaſi ſe apperiens, plurimum effundit ſanguinis, qui ibi elaboratur, extenuatur, & diſponitur, non tantum ad ſpiritus vitalis generationem, ſed etiam nutritionem pulmonum. Quippe qui ob continuam, cui obnoxię ſunt, veluti flabra

Digitized by Google

cordis, dilatationē, & contractionem, ſubſtantiam obtinent rariſſimam, & leuiſſimam; quæ ſanguine craſſiori, & venoſo nutriri non poteſt, ob nimiam, quam habet cum eodem diſſimilitudinem. Idcirco prouida, & ſagax Natura, ſanguinem in dextro cordis ſinu, tanquam in ciſterna, prope fontem caloris, nouam veluti concoctionem, & elaborationem ſubire voluit, priuſquam per venæ arterioſæ ramulos, ad pulmonis deferatur ſubſtantiam. Eſtq; ſinus ille, ſola cauitas, in qua ſanguis extra venas conſeruatur; ob quam, proculdubio, rationem, exiſtimauit Ariſt. ſanguinem in corde generari, eundem eſſe generationis, & conſeruationis locum ratus. Quod axioma, hepar non eſſe officinam ſanguinis cum nullam habeat in ſe cauitatem, cumque ſanguis in eodem extra venas, ſtatim corrumpatur, non obſcurè demonſtrare videtur. Huic difficultati ſatisfacientes Galen. ſectatores; dicunt ad concoctiones efficiendas, non neceſſarias eſſe cauitates, niſi quando concoquenda, craſsiora ſunt, duriora, & ſolidiora, cuiuſmodi ſunt eſculenta, quæ primam admittunt in ventriculo concoctionem: vel quando concocta, ſubito,

bito, & in magna quantitate, per vniuerſum corpus influunt, magnamq; ſui facile patiuntur iacturam: cuiuſmodi ſunt ſpiritus vitales, qui ex ſanguine iam dicto per ſeptum tranſuerſum in ſiniſtrum cordis ventriculum trans ſudante procreantur, vna cum ſanguine arterioſo, ac poſtmodum, per arterias, in vniuerſum corpus, ad vitam, toti, & ſingulis partibus communicandam influunt. Ideoque ne illorum defectu vita deſſiciat, vtque in locum diſſipatorum, noui reponantur continuo: non ſolum ipſis ſpiritibus, ſiniſtrum cordis ventriculum, verum etiam eorundem materiæ elaborandæ, & conſeruandæ ſinum dextrum, veluti promptuarium refertiſsimum conſtituit Natura. At ſanguinis in hepate geniti, longe diſpar eſt ratio: cum enim non impetu repentino, ſed ſenſim, & continuo motu per venas, veluti totidem tubulos, in vniuerſum corpus, ad eiuſdem nutritionem deferatur, fiatque ex chylo, ab excrementis craſsioribus defœcato, penaria, ad ſui generationẽ, & cõſeruationem nõ indiget. Ideoq; nulla cernitur in hepate ſẽſibilis cauitas Quin potius cũ contactu, nõ ſolũ phyſico, ſed mathematico quoq; ipſius parenchy-

chy-

Digitized by Google

chymatis, chylus a ventriculo per venas meſeraicas ad hæpar delatus, ſanguinis adipiſcatur naturam, & colorem induat, per exiles, & tenues portę ramulos (qui cauę radicibus, admirabili iunguntur anaſtomaſi) in radices cauæ, per vniuerſũ viſcus diſperſas, feratur neceſſum eſt: vt ſcilicet, perangusto, & anfractuoſo, tenuiſsimarum venularum (poris tamen, & foraminibus vndique refertarum) tranſitu, melius perficiatur αἱμάτωσις, & debitum vniuerſo corpori producatur alimentum. Sed huius rei plenior explicatio alibi tradetur.

Hæc de rebus naturalibus, quibus natura corporis noſtri conſtituitur, & quę ſeptenario comprehenduntur numero, ex quaternario fœmina, & ternario maſculo, iuxta Epicureos compoſito. Tetras ſeu quaternarius, elementa, temperamenta, humores, & partes continet; quæ ſingula quatuor ſunt. Quatuor ſiquidem elementa, quatuor temperamenta ſimplicia, totidem compoſita, ſaltem a ſymmetra, quatuor partes, nempe, quæ regunt, & non reguntur, quæ famulantur regentibus, quæ regunt, & reguntur, & quæ neque regunt, neque reguntur. Τριὰς ſeu numerus ternarius,

veluti

Digitized by Google

veluti maioris perfectionis, actiones animæ, ipſiuſque inſtrumenta quibus operatur, & quibus alligatur corpori, vincula reſpicit, præter actiones, facultates, & ſpiritus complexa: quibus ſingulis trimembris rurſum accomodari poteſt diuiſio, triplex ſiquidem actio, triplex facultas, triplex ſpiritus. Quæ tamen omnia, ab vna anima procedunt.

Finis primi Libri.

Digitized by Google

PRÆFATIO

In Pathologiam.

CORPVS humanum, prout capax eſt ſanitatis & morbi, eſſe Medicinæ ſubiectum, eaq; omnia, quę in arte hac pertractantur, vel ad pręſenſentem ſanitatem conſeruandam, vel ad deperditam recuperandam, referri nemo dubitat. Quapropter, cum ignorata eſſentia, & natura morbi, & ſanitatis; nec ſanitas conſeruari, nec morbus expugnari poſſit: operæ pretium eſt, vt poſt explicatam naturalem totius corporis fabricam, diſpoſitionum, quibus obnoxium eſt, enarrationem auſpicemur, morbi potiſſimum, morbi cauſæ, &

Digitized by Google

ſymptomatis, quæ homini præter naturam accidere ſolent. Sed quoniam, vt ait, Gal. lib. 1. de dyſpnea cap. 1 quod præter naturam eſt, cognoſcere nequimus, illo, quod eſt ſecundum naturam, incognito: antequam enumeratorum affectuum explicationem aggrediamur, quæ morbo contrariatur, exponenda venit ſanitas, ſimul & ſtatus neuter, qui medium, inter vtrumque, locum obtinet. Hac igitur, in hoc tractatu, progrediemur methodo. Primo ne lubrica vocum ambiguitas, & anceps vocabulorum quorundam ſignificatio, greſſus fallat, quorum paſſim futura eſt mentio, non tantum in tractatu hoc pathologico, ſed etiam in ſingulis Medicinæ partibus, artis quædam vocabula explicabimus: deinde quid ſit ſanitas? quid morbus? quid cauſa morbi? & ſymptoma? item quid ſtatus neutet definiemus? tertio morborum, quarto cauſarum, quinto ſymptomatum genera, & differentias exponemus; ſexto, quoniam inter morbos fræquentiſsimè medicorum auxilium expoſcunt febres; illarum differentias ſpeciatim interpretabimur. Vltimo deniq; loco, de morbi temporibus diſſeremus. Si ſciolus hic quiſpiam obtrudat, ordine naturæ, prius explicandam eſſe cauſam,

quam

quam morbum,& ſymptoma ante vtrumque, ordine facilioris cognitionis; ſciat hoc quidem verum eſſe, & locum habere in praxi; in qua per ſigna,& ſymptomata morbi ſpeciē, & cauſam indagamus,& quibus cognitis,a cauſarum ſublatione, curationem exordimur. At Tyrocinium in arte exercentium,quibus adhuc tres iſti præter naturam affectus, per æque ſunt incogniti, non refert, a cuius iſtorum explicatione exordium ſumatur. Galenus tamen, & omnes fere medici initium ſumunt a morbo: idq; propter indicationum dignitatem; ſolus enim morbus curationem indicat, vt cauſa præcautionem, & ſedationem ſymptoma.

***

LIBRI SECVNDI

DE PATHOLOGIA

CAP. I.

Quid naturale? non naturale, & contra naturam. Item quid affectus? effectio, & affectio?

NATVRALE, non naturale, item præter naturam, & contra naturam, aliter a philoſophis, quam a medicis accipiuntur. Philoſophi etenim quidquid ab internis procedit rei principiis, naturale, ſeu κάταφύσιν, quod vero rebus ab externo aliquo accidit, non naturale appellant; ſiue patiens aliquid actioni conferat, ſiue non: vnde duplex, non naturalis acceptio, vna pro eo quod eſt violentum, & omnino contra naturam patientis particularem (nam contra vniuerſalem nihil fieri

poteſt) cuiuſmodi eſt motus lapidis ſurſum, & ignis deorſum: altera pro eo quod quidem præter naturam patientis contingit, ei tamen minimè repugnat, & reluctatur. cuiuſmodi eſt circularis ignis motus. At medici per naturale, illud tantum intelligunt, quod naturalem conſtitutionem noſtri corporis neceſſario ingreditur: cuiuſmodi ſunt illa omnia, quæ hactenus expoſita fuerunt in Phyſiologia. Sub nomine vero non naturalis, comprehendunt aërem, ſub ratione ambientis (nam vt elementum eſt, ad rerum naturalium numerum refertur) motum & quietem, cibum & potum, ſomnum & vigiliam, excreta & retenta, & animi pathemata; quæ omnia; modo ſex res non naturales, modo cauſæ ſalubres nuncupantur. Præter denique & contra naturam confundere ſolent, atque pro vno eodemque vſurpare, pro eo ſcilicet, quo quauis ratione, naturalis corporis conſtitutio, ſenſibiliter, & manifeſte peruertitur, ſiue morbus fuerit, ſiue morbi cauſa, ſiue ſymptoma. Dixi ſenſibiliter, quoniam leuis, & obſcura mutatio, non morboſam, ſed neutram efficit conſtitutionem, quæ inter ſanitatem, & morbum ambigit; quæque fortaſſis, præter naturam dici poteſt:

teſt: ſi conſtitutionem præter naturam cum Fernelio, & aliis neotericis quibuſdam, ab ea quæ eſt contra naturam diſtinguas, quod aut nullam corpori vim inferat, aut obſcuram, vel inſenſibilem; cuiuſmodi ſunt fœdus ictericorum color, faciei lentigo, reliquique eiuſmodi leuiores affectus, qui partium actiones, nulla ſenſibili afficiunt læſione. Sed nunc videndum eſt, quid per affectum, affectionem, & effectionem intelligendum ſit? vt nobis melius innoteſcat nominis Pathologiæ ratio, ſic dictæ, quod affectionum præter naturam, quas Græci παθη καὶ παθήματα vocant explicationem contineat. Affectus græcè διάθεσις, apud Ariſt. diſpoſitionem à ſubiecto facile mobilem, ſeu habitum inchoatum propriè ſignificat. Dixi propriè, quoniam fuſiori vocis poteſtate etiam ipſum habitum, ſuo ambitu comprehendit. Apud medicos vero Gal. præſertim, triplicem reperio illius acceptioné, vnam ampliſſimam, pro eo omni, a quo corpus noſtrum, quocunque modo, afficitur; in quo ſenſu, non ſolum morbum, morbi cauſam, & ſymptoma, ſed ſanitatem, & ſtatum neutrum complectitur, vt videre eſt cap. 1. de ſympt. differ. Alteram paulo contractiorem, & anguſtio-

guſtiorem, pro omni, quæ præter naturam eſt, diſpoſitione; vel quod eodem redit, pro quauis diſpoſitione morboſa; in quo ſenſu, ad morbum tantum, morbi cauſam, & ſymptoma extenditur; & tertiam, præciſam admodum, & argutam, pro eo quod actione productum remanet in patiente, actione ipſa ceſſante. Sic certe διάθεσις, ſeu affectus, idem quod κατασκευή, & conſtitutio ſignificat, atque ad ea tantum transfertur, quæ διαμονήν, & permanentiam obtinent; vt docet Gal. lib 2 meth cap 3. Porro, affectus hoc modo ſumptus mutatione quadam, motuque gigni ſolet: quæ mutatio, prout a cauſa præter naturam efficiente, & corpus noſtrum, vel aliquod illius membrum immutante procedit, effectio dicitur, ſeu actio græcè ἐνέργεια; prout vero refertur ad corpus, vel membrum patiens, affectio, atque perpeſſio græcis πάθος, & πάθημα. Quod autem ex hac actione proficiſcitur, remanetque in ſubiecto, ceſſante motu, veluti impreſſum quoddam affectionis veſtigium, affectus dicitur: & propterea, vt eleganter docet Fernelius, ſublata cauſa, protinus ceſſat eius effectio, ceſſat & patientis corporis affectio; at genitus affectus interdum manet, & perſiſtit, manifeſte ab affectio-

fectione ſeiunctus; vt cernere eſt in vlcere, a ferro candente corpori inuſto; interdum vna cum affectione euaneſcit, aut ſaltem poſt ſublatam cauſam, non multum remanet: vt apparet in calore febrili, qui, euacuato, cui inhęret humore, nihil, aut parum perſiſtit. Interdum denique affectio, adeo leuis eſt, vt nullum conſideratione dignum, poſt ſe relinquat affectum; cuiuſmodi eſt dolor, qui fit ab acicula leuiter pungente.

CAP. II.

DE PATHOLOGIA.

Quid ſanitas? quid morbus? quid cauſa morbi? quid ſymptoma? Item quid, & quotuplex ſtatus neuter?

GAlenus c. 1. de differ. morb. hac methodo, ſanitatis inueſtigat definitionem; vt ſanitate, quæ ſecundum naturam eſt, cognita, notitiam morbi, qui affectus eſt præter naturam, facilius aſſequamur. Vnanimi, inquit, omnium conſenſu approbatum eſt, homines quoslibet ſe ſanos arbitrari, cum par-

tium

tium corporis adminiculo, muniis ad vitam neceſſariis citra noxam fungi poſſunt, & membrum illud eſſe ſanum, & integrum, cuius actio eſt ſana; ægrum contra, cuius actio læditur. Sanitas, ergo, aut in actionibus ſecundum naturam poſita eſt, aut in memborum conſtitutione, quibus actiones hæ perficiuntur. Quod in actione non conſiſtat, demonſtrãt dormientes, aut alioquin in vmbra, aut otio degentes, aut diſcumbentes; qui quidem ſępe numero, optime ſani, quamplurimas non exercẽt actiones; neque enim interdum, vllam partem mouent, neq; rem ſentiunt externam. Vnde concludit Gal. ſanitatem non eſſe ipſam actionem, ſed naturalem potius, partium omnium conſtitutionem, quę immediate actionem producit. Conſtitutio hęc tria requirit, legitimam partium ſimilarium temperiem, concinnam organicarum conformationem, & tam ſimplicium, quam compoſitarum debitam vnionem; vt recte definias ſanitatem, affectum, ſeu conſtitutionem naturalem ex partium ſimilarium bona temperie, conuenienti organicarum ſymmetria, & naturali vtrarumq; vnione reſultantem, qua actiones, legitimè, & inculpatè eduntur. Ex his facile eſt definitio-

nem morbi inuenire, qui ſub eodem genere, per legem contrariorum continetur, ſub quo ſanitas, affectu videlicet in tertia ſignificatione ſumpto; contrarias vero, eadem lege, obtinet rationes: & propterea cum ſanitas, ſit affectus ſecundum naturam, naturæ humanæ gratus, & ad illius conſeruationem conducens; morbus procul dubio affectus eſt præter, vel contra naturam, qui noſtrę naturę aduerſatur, eiuſdemquem molitur interitum: & cum ſanitas immediata cauſa exiſtat actionis integræ, morbus læſæ actionis immediata cauſa cenſenda eſt. Recte igitur morbum definies, conſtitutionem præter naturam, primo, & immediatè actionem lædentem. Diſtinguitur a cauſa, quæ actionem non lædit immediatè, ſed mediatè tantùm, & per morbi interuentum, & a ſymptomate, quod nullo modo, qua tale actionem lędit, ſed ſequitur morbum, vt vmbra corpus. Dixi quà tale: quia quod ſymptoma eſt vnius ratione, poteſt eſſe morbus, alterius reſpectu; vt apparet in ictericis, quorum viſio, appulſu humoris bilioſi ad oculos, deprauatur; & in quibus color quidem flauus, imo & humor bilioſus, prout in hanc partem diffuſus, alterius morbi conſectarium exiſtit, ſymptoma dicitur.

Digitized by Google

dicitur. Prout vero ſua pręſentia viſionem deprauat, morbus eſt. Verum de cauſa, & ſymptomate poſtea; nunc ne cuiuis ſit cauillo locus, vtque omnis circa morbi definitionem, tollatur dubitandi occaſio, quæ ſequuntur, notanda ſunt fundamenta. Primum eſt, morbum hic a nobis definiri, per affectum, ſeu διάθεσιν, habita ratione formalitatis (vt loquntur) non autem ipſius fundamenti, quod extra categoriam qualitatis reperiri poteſt; vt pote in ſubſtantia, vt cernere eſt in calculo, & lumbricis. & in quantitate, vt in magnitudine, & numero, auctis, vel diminutis, quamuis ipſa formalis morbi ratio, quæ in conſtitutione membri præter naturam conſiſtit, ſemper ad diſpoſitionem, & habitum referatur, in quantum membrum, vel corpus, cui accidit, male afficit, illudque reddit ineptum ad actionem integram edendam; nam prout ſenſum externum immutat, & alterat, ad patibilem pertinet qualitatem: vt cernere eſt in calore febrili, qui prout corpus febricitans male diſponit, diſpoſitio, vel habitus; prout vero, ab aſtantibus & ipſo ægro percipitur, eorundemque ſenſum immutat, patibilis cenſetur qualitas. Dixi morbum, poſſe dici patibilem qualitatem, non

paſſionem, quoniam διάμονην habet, & permanentiam, non quidem temporis, ſed eſſentiæ. Nam ad hoc vt morbus ſit, non neceſſum eſt, affectum longo tempore perſiſtere, vt perperam arbitrati ſunt Empirici: ſed tantum requiritur, vt habeat eſſe ſuum in facto, nõ autem in fieri. Quod, ſi Gal. alicubi diſtinguat morbos, in factos, & fientes, per fientes proculdubio, incipientes, & recentes intelligit, qui nondum ad iuſtum peruenerunt incrementũ, & qui adhuc ſecundum aliquam ſui partem fiunt, quamuis non dicantur morbi niſi ratione facti, quod habent: & hi proprie dicuntur in σχέσει, vt & facti in ἕξει, ſeu habitu. Alii per morbos fientes, intelligunt breuiſſimos; ſed præferenda eſt prior reſponſio, dicendumque vno verbo, abſolute omnem morbum, eſſe in facto, qua morbus eſt, quamuis dici poſſit eſſe in fieri, ſi morbus in σχέσει comparetur cum morbo in ἕξει.

Notandum deinde, quamuis morbus ſecundum naturam, & eſſentiam ſuam, ex permanentium ſit numero, eum tamen ratione motus, qui ab actione naturę, in cauſam morbi, vel vice verſa dependet, proprioque ſuo tempore menſuratur, eſſe ſucceſſiuum: vt fuſius explicabitur in cap. de morbi tempor.

Notandum tertio, morbum, & ſanitatem, quamuis in ſymmetria, & ametria conſiſtere videantur, non eſſe ex relatorum, ſed qualitatum potius numero, prout mutatione acquiruntur, & quibus inſunt, ſubiecta, ad actionem integram, vel læſam edendam diſponunt. Clarius: ſi ſanitas conſideretur, prout in mediocritate, & commoderatione, rerum naturalium, & morbus, prout in earundem immoderantia conſiſtit, aut in defectu, vel exceſſu a mediocritate, poſſunt dici relata. At in quantum membra ad bene, vel male agendum diſponunt, ad primam pertinent qualitatis ſpeciem.

Notandum denique, ad euitandum Argenterii cauillum, quo vult morbo non lædi actionem immediate, ſed interueniente læſione alicuius facultatis, facultates propriè loquendo, non lædi, cum incorporeæ ſint, ſed impediri potius, inſtrumenti vitio, & mala illius conſtitutione. Nec huic repugnat authoritas Gal. in limine, cap. 2 lib. 7. de ſympt. cauſis, vbi vult in actionibus ſenſificis, triplicem ſymptomatum differentiam deprehendi, vnam, cum primum ſenſus inſtrumentum, alteram cum ſentiendi facultas, & tertiam, vbi aliquid illorum laborat, quæ primo ſenſus inſtrumento

mini-

miniſtrant: Eo etenim loci, per facultatem, non ipſam animæ potentiam intelligit, ſed facultatis potius inſtrumentum, ſpiritum videlicet animalem, qui per neruos opticos, in oculum influit. quod cuiuis clarum euadat citatum locum legenti.

Nunc de ſtatu neutro dicendum, quem Gal. cap. 5. artis medicæ, triplicem facit, vnum per extremorum participationem, quo fruuntur paralytici, & alii omnes qui ſecundum vnam partem ægri ſunt, & ſecundum aliam ſani: vel qui valent ratione temperiei, laborant vero vitio conformationis, aut vnionis, vel vice verſa; vel etiam qui bonam habent temperiem in vna oppoſitione, vitioſam vero in altera. Alterum per temporum viciſſitudinem; hic continentur qui aliquando ſunt ægri, aliquando ſani: cuiuſmodi ſunt, qui hyeme ægrotant, & æſtate valent, & contra, qui æſtate ægrotant, & hyeme valent. Et tertium, per extremorum negationem, in quo ſunt, qui neque perfecta fruuntur ſanitate, neque actiones habent ſenſibiliter læſas: eſtque hic ſtatus, quem in neutrum decidentię, & neutrum conualeſcentiæ diuidunt authores; quorum prior tranſitus, eſt à ſanitate ad morbum, vt poſterior à morbo

ad ſa-

ad ſanitatem; qui tranſitus, ſecundum ſenſum, & vſum artis maximam habet latitudinem, quamuis ad intellectum indiuiſibilis ſit, fiatq; in momento, ac puncto temporis imperceptibili. Si hoc plenè animo nõ ſatisfaciat: dic morbum, & ſanitatem, ſub ratione ſymmetrię, & ametrię, paritatis, & imparitatis, æqualitatis, & inęqualitatis, præſertim ſi ſtrictè accipiãtur, & in anguſto vocis ſignificatu, nullum habere medium: ſub ratione verò diſpoſitionis, & actionum, quarum cauſæ ſunt, medium admittere. Datur enim actio, quæ neq; eſt ſenſibiliter læſa, vt in morbo, neq; ſenſibiliter integra, vt in ſanitate: quod manifeſtum eſt in ſenibus præſertim, in quibus omnes actiones langueſcere, & torpere cernimus. Verum quidem eſt, neutrum hunc ſtatum, ſub latitudine ſanitatis comprehendi, ſi latè ſumatur ſanitatis nomen, prout optimam, mediocrem, & ambiguam complectitur, quomodo ſumitur ab Ariſt. referente morbum, & ſanitatem, tanquam exemplum contrariorum immediatorum, in poſt prædic. & à Gal. cap. 8. artis med. vbi vult, totam ſanitatis latitudinem in tres partes diuidi, quarum ſingulæ latitudinem habent non paruam. Prima inquit, eſt corpo-

rum

rum ſalubrium, ſecunda neutrorum, tertia eſt inſalubrium: poſt quæ deinceps ſequuntur, actu ægrotant corpora, & ſenſibilibus operationum læſionibus, ab aliis diſtinguuntur; per ſalubria hic, quæ optima, per neutra, quæ mediocri, & per inſalubria, quę aliqua, & obſcura gaudent ſanitate, corpora intelligit. Porro corpora hęc, quę in poſtrema latitutidinis ſanitatis parte conſtituuntur, & à Gal. vt iam diximus inſalubria appellantur, ſi vſum artis ſpectemus, neq; ſana, neq; ægra dici poſſunt; quoniam his, neq; conuenit conſeruatio per vſum ſimilium, vt corporibus perfectè ſanis; neq; curatio per omnimodum contrariorum vſum, vt ægrotantibus: ſed ſi decidua ſint, & ad ægritudinem vergentia, prophylaxin, ac præſeruationem, ſin verò à morbo conualeſcant, analepſin, reſtaurationem, & refectionem requirunt. Quomodo antem differat προφύλαξις, & ἀνάληψις, tum à ſe inuicem, tum à curatione, & conſeruatione audiemus in tractatu de ſanitate conſeruanda: vbi docebitur curationem per contraria, conſeruationem per ſimilia, & præſeruationem, atque reparationem, per ea, quæ partim contraria fieri, puta curationem per medicamenta, conſeruationem

per

per alimenta, præſeruationem per medicamenta alimentoſa, & reſtaurationem per alimenta medicamentoſa.

Adde penultimę lineę præcedentis paginæ poſt partim ſunt ſimilia partim

CAP. III.

DE MORBORVM GENERIBVS & differentijs.

IN eorundem ametria conſiſtit morbus, in quorum ſymmetria poſita eſt ſanitas: & idcirco, cum tria neceſſariò ad ſanitatem concurrant, bona ſcilicet partium ſimilarium temperies, legitima organicarum conformatio, & naturalis ambarum vnio, tria ſunt conſtituenda prima, & ſimplicia morborum genera: vnum ſimilarium, quod omnes intemperies, tam ſimplices, quam compoſitas, actionem partium ſenſibiliter lædentes ſub ſe complectitur: alterum organicorum, ſub quo vitia conformationis, figuræ nimirum, magnitudinis, numeri, & ſitus: & tertium ſub quo omnes præter naturam membrorum ſolutiones continentur. Fernelius tria ſpectanda proponit in parte ſimilari, materiam, temperamentum,

& formam: quæ totius eſt ſumma perfectio, & ipſius rei ſubſtantia: ac proinde morbum ſimilarem, in materiæ, temperamenti, & formæ vitium diſpertit: ad materiæ immoderationem reducit, nimiam membrorum mollitiem & duritiem, tenuitatem & craſſitiem, raritatem & denſitatem, laxitatem & aſtrictionem: ad temperamenti vitium, intemperies omnes, tam materiales, quam immateriales; ad totius denique ſubſtantiæ corruptelam, affectus qui partium ſubſtantiam, primo, & per ſe oppugnant; ſiue à cauſis manifeſtis, corporis, membrorumque ſubſtanriam demoliantur: vt vlcera maligna, phtiſis, hepatis, lienis, aliarumque partium putredo, ex primarum qualitatum intemperie nata, ſpiritus innati diſſolutio per vigilias, labores, inædias, & natiui caloris extinctio in ſtrangulatu, vel penetrabili, extremoque frigore: ſiue ex occultis cœciſque cauſis, totam ſubſtantiam oppugnent, vt morbi venenati, contagioſi, & peſtilentes. Hæc opinio ex falſa procedit hypotheſi: ſupponit enim, materiam & formam, tum à ſe inuicem, tum a temperamento differre; cum tamen ex rei veritate, materiam ſimul & formam ſub ſe temperies compreheudat. Non enim fit ex nudis

quali-

qualitatibus, ſed ex mixtione ſubſtantiarum, calidi, frigidi, humidi, ſiccique elementi, mutua qualitatum actione paſſioneque ita facta, vt elementa per totam ſubſtantiam contemperata, rem producant, materia, & forma conſtantem, atque viribus, tum ad agendum, tum ad patiendum præditam. Hinc eſt, quod Gal. lib. 3 de temper. naturæ nomine intelligat, totam rei οὐσίαν & κρᾶσιν, ſeu temperamentum ex primis elementis calido, frigido, humido, & ſicco compoſitum. Non diſtinguit ergo, eo loci Gal. temperamentum qualitatū, quod pleriq; ſecundum appellant, a forma, & eſſentia mixti, à nonnullis temperamento primo nuncupato; primum, quia mediante ſubſtantiali hac forma, temperies mixto inhæret: deinde, quia forma ſubſtantiæ ſenſum fugit, & ob id, ſub medici conſiderationem non cadit, qui ſenſibilis eſt artifex: tertio, quia actiones integræ, & læſæ, immediate procedunt à temperamento, a forma autem tantum mediate: per formam hic cum philoſophis, intelligo rei naturam & eſſentiam; nam medicè loquendo, ipſamet temperies, forma dici poteſt. Porro forma hæc ſubſtantiæ poſita eſt in ἀδιαιρέτῳ, nec poteſt citra integram partis corruptelam,

Digitized by Google

ne vel minimum immutari: & idcirco illius ratione morbus parti accidere nequit: cum morbus omnis mutatione aliqua producatur in parte viuente: gangrena etenim, non tam ratione partis mortuæ, quam reliqui membri morbus dicitur: & hac ratione reſpondere licet ad ſecundam obiectionem Argenterij, aduerſus receptam doctrinam de morbis ſimilaribus, qua contendit dari morbos formæ, eo quod forma cauſa ſit actionis: hoc enim vt iam diximus nõ ſufficit, ad hoc, vt in ea fundatur morbus: nec vllius eſt ponderis, quod in medium adfert de oſſibus, pilis, ligamentis, & cartilaginibus, quæ contendit eſſe eiuſdem temperamenti, natura autem, & vſu diſtingui: vnde concludit formam diuerſam eſſe à temperamento, quãuis enim in hoc conueniant, quod frigido, & ſicco fruantur temperamento, non tamen putandum eſt, eorum omnium eãdem eſſe temperiem, ſola graduum intenſione, & remiſſione differentem. Ad primam dicimus, partes ſimilares qua tales ſunt, ſolo temperamento inchoare actionem, & inchoatam perficere, nec vllo alio indigere ad actionis perfectionem. Dixi qua ſimilares ſunt: quia reſpectu conformationis, & magnitudinis, quam obti-

obtinent, inter organicas recenſentur: ideoq; perperam Argenterius magnitudinem, & figuram de natura partium ſimilarium conſtituit. Ad tertiam, quam obtrudit de duritie, mollitie, & ſimilibus, reſpondeo cum Gal. cap. 4. lib. 2. de temperam. qualitates iſtas ſecundas primarũ temperamenta conſequi, & ob id earum vitia, ad detrimenta temperiei eſſe reducenda; cum non aliundè, quam ex temperamento partibus aduenian: Contra hoc dupliciter obiicit Argenterius, primùm ex eo ſequi actionem læſam inter morbos eſſe reponendam: quoniam conſequitur temperamenti vitium. Sed inepta eſt conſequentia, cum actio læſa non ſit ex habituum numero, & eorum, quæ habent permanentiam: quæ conditio neceſſaria eſt morbo. Inſtat deinde, duritiem nõ ſemper eſſe ſiccitatis ſobolem, quoniam ex multa, & forti frictione indurantur partes: ſed miror Argenterium non aduertiſſe per frictionem diſſipari & euacuari humores: vnde ſequatur ſiccitas neceſſum eſt: debebat potius obieciſſe duritiem à repletione, quæ temperiẽ minime agnoſcit parentem: at non negabit forte eam conſectarium eſſe conformationis: Sed cur non ſiccantibus inquit æque bene, quã

fri-

frictione corporis, hanc molimur duritiem & firmitatem. Reſp. ſiccantia non poſſe hoc ita commode præſtare: quoniam quæ frigida ſunt, humores non tam euacuant quam repellunt, & calida plus fundunt quam euacuant. Ad illud denique quod obijcitur de morbis occultis, eorundemque alexiterijs, & remedijs, quæ tota ſubſtantia, vt loquuntur, ac cœca qualitate operátur: in quorum ſenſu ſunt omnia purgantia proprie dicta, & quæ attrahendo purgant. Dicendum eſt huiuſmodi actiones non propterea formæ totius ſubſtantiæ attribui, quod non fiant à certo quodam temperamento, ſed quoniam temperiem à qua fiunt ignoramus. Nam vt ait, Gal. cap. 8. de conſtit. artis, infinitæ ſunt rerum proprietates, quoniam infinitis modis poſſunt alterari, & contemperari elementa, & cap. 7. lib. 3. Meth. affirmat ſe Æſculapio ſimilem fore, cui ſoli omnes idioſyncraſiæ notę fuerunt, ſi omnes temperamentorum proprietates cognoſceret. Nec vos commoueant, quæ docentur à Riolano cap. 10. in lib. 2. Fernelii de abditis rerum cauſis; morbos totius ſubſtantiæ, nullam certam morbi conſtituere ſpeciem, quia per omnia morborum genera vagantur, vt cernere eſt in febre peſtilente,

lente, qui morbus eſt ſimilaris; in cancro occulto, qui eſt organicus, & in cancro vlcerato qui eſt communis. Malignitas ſiquidem ſeu κακοηθεία, in qua morb. occultorum (quos totius ſubſtantiæ nuncupant Neoterici) eſſentia conſiſtit, neque ad conformationis vitium, neque ad ſolutionem continui referri poteſt, ſed tantum ad qualitatum, & humorum diſcraſiam.

C A P. IV.

DE SPECIEBVS MORBI ORGANICI.

EX dictis manifeſtum eſt, quid, & quotuplex ſit morbus ſimilaris, modo intemperiei ſimplici, & compoſitæ, nudæ & materiali, æqualem, & inæqualem addideris: hæc partim eſt in facto, partim in fieri, vt in febre humorali, illa tota eſt in facto, vt in febre hectica. Nunc de organico dicendum cuius 4. ſunt ſpecies, vna in figura, altera in magnitudine, tertia in numero, & quarta in ſitu, penes quæ conſiſtit natura, & eſſentia organorum, vt in Phyſiologia expoſitum eſt: ex qua repetendum eſt, in quolibet inſtrumẽto, vnam

eſſe aliquam particulam, præcipuam actionis cauſam, reliquaſquè omnes, vt huic vſum aliquem præſtent, fuiſſe creatas. Maximè quidem, & potiſſimùm vitiatur inſtrumenti functio, quando pars pręcipua actionis cauſa afficitur: affectus verò reliquarum partium vehementiores, ſi per ſe actionem lædant, abſq; vlla principalis partis offenſione, vt pterygium, à quo nullam patitur offenſam humor cryſtallinus, morbi cenſendi ſunt. Si verò non per ſe, ſed præcipuæ parti nocendo, actionem impediant: non inter morbos, ſed morbi cauſas reponi debent; vt cernere eſt in exſecto gurgulione, reſpirationem, non primo, & per ſe, ſed interuentu frigidæ pulmonis intemperiei, offendente: qui quidem affectus, prout loquelam immediate lædit, ad ſeriem morborum pertinet. Sed iam perpendamus ſingula morborum genera, quæ partibus organicis, incidunt, ſumpto ab ægritudinibus in formatione exordio. Porro, conformatio, quam Græci διάπλασιν appellant, cum figuræ, mætus, cauitatis, leuitatiſq; aut aſperitatis concinnitate, circonſcribatur, quatuor morbi differentijs eſt obnoxia: quarum vna eſt in figura, altera in mætu, tertia in cauitate, & quarta in leuitate vel

te vel aſperitate a naturali ſtatu recedente. Hæ rurſus minutius conciduntur, pro modorum diuerſitate, quibus recta dictorum conſtitutio, immutari, & corrumpi poteſt; multifariam ſiquidem vitiatur figura, vt cernere eſt, in vatiis, quibus foras, & in varis, quibus intro, crura contorquentur: in his quibus caput, vel oblongum, vel rotondum, nimis eſt, & vno verbo, quæcunque, natura, recta ſunt, poſſunt curuari, quæ curua, erigi, quæ rotonda, quadrari, & vice verſa: poſſunt ſimiliter flecti, reflecti, diſtorqueri, inæqualiter creſcere, aut imminui: idque tam per ſe, quã per accidens, vt in anguſtiore thorace, thoracis per ſe, & pulmonis per accidens deprauatur figura. Meatuum, ductuumque, per quos feruntur humores, & ſpiritus, duplex exiſtit morbus, nimia ſcilicet dilatatio; qualis eſt pupillę in mydriaſi, venæ in varice, arteriæ in aneuriſmate, productionis peritonei in hernia, & quæ ei opponitur, eorundem anguſtia, quæ triplici fit obſtructione, coarctoria nimirum, qua meatus partium adiacentium, mole, pondereque coarctantur; attenuatoria, qua concidunt, & quaſi coaleſcunt: & oppelatiua, qua a re aliqua intus hærente, naturali, non naturali, aut medio modo ſe ha-

bente, obſtruuntur. Exemplum rei naturalis, eſt caro, in meatu vrinæ excreſcens, rei præter naturam, calculus in renibus, vel veſsica, mediæ, humores craſſi, & crudi, quibus ſæpenumero ductus obſtruuntur. Cauitatis ſimiliter morbi, quæ excipiendi, continendique gratia comparata eſt, vel ad nimiam capacitatem, vel ad immodicam anguſtiam referuntur; nec aliter a ſe inuicem diſtinguntur hæc duo, niſi quod, meatus, afferendo, & diſtribuendo, cauitas, excipiendo, & continendo comparetur. Ad hoc ergo genus morbi, pertinet, nimia capacitas, ventriculi, thoracis, ſcroti, veſicæ, & id genus reliquorum, eorumque immodica anguſtia, ſiue a compreſſione, ſiue ab attenuatione, ſiue ab obſtructione procedat. Leuitatis, & aſperitatis vitia, eis partibus accidunt, quæ ad functiones perfectè obeundas leues, vel aſperæ eſſe debent: vnde inteſtinorum, & ventriculi, in lienteria, & cœliaca paſſione leuitas, & in tuſſi nimia, tracheæ arteriæ aſperitas.

Morborum in numero (nam de his ſecundo loco diſſerere inſtituimus, quoniam laborantis membri, figuram propriam, & naturalem peruertunt, vt videre eſt, in manu, cui deeſt, aut redundat digitus) duæ ſunt differentiæ,

vna

vna redundantium, altera deficientium; redundantia, vel ſunt ex genere τῶν κατὰ φυσιν, vt ſextus digitus, tertius teſtis, & carnis excreſcentia, vel ſunt toto genere, præter naturam, vt lumbrici in inteſtinis, lapis in veſica, & ſuffuſio in oculo. In numero deficiente, duplex quoque contingit vitium: vnum in quo pars omnino deficit, vt digitus amputatus, & dentes auulſi, alterum, in quo membrum, ex parte mutilatur, vt lingua in ſpaſmo præciſa, ablata digiti pars, cœteraque eiuſmodi quæ ad morbum in numero, referuntur, reſpectu partium deficientium, ad magnitudinem vero imminutam, reſpectu totius membri: maximè tamen propriè morbi magnitudinis habentur, in quibus ſeruante particula, ſuam figuram, magnitudo ita vitiatur, vt impediatur actio, ex cap. 9. de morb. diff. & in hoc etiam diſtinguuntur à morbis in numero, quia non ad diſcretam, ſed ad continuam quantitatem pertinent.
Quod autem in affectibus magnitudinis, non neceſſariò lædatur figura, exemplo linguæ, ſupra modum auctæ, vt ad nullam oris partem, ſe ſe flectere poſſit, aut ita imminutæ, vt non poſſit omnes oris partes attingere, oſtendit Gal. hęc magnitudinis vitia, vt & reliqui omnes

morbi organici, vel ab ortu nobis adnata ſunt, vel poſt ortum adueniunt: quæque in aucta conſiſtunt mole, ex alimenti exuperantia: quę verò in diminuta, ex eiuſdem penuria, proueniunt: nam quæ ex humorum influxu, aut excrementorum congeſtione ſuccreſcunt, non huc, ſed ad tumores præter naturam referri debent: quamuis Gal. ob affinitatem, & ſimilitudinem, quam cum his vitiis obtinent, tumores pleroſque præter naturam, inter magnitudinis detrimenta recenſeat: vt demonſtrant exempla, ab ipſo allata Nicomachi, nimirum quem ſanitati reſtituit Aſclepiades, mammarum, teſtium, & ſtrumarum immodicæ molis. Superſunt mutatæ naturalis cõpoſitionis morbi, quorum alii conſiſtunt penes τὴν θέσιν, ſeu poſitum, vt ἐξαρθρήματα, & παραρθρήματα, ideſt luxationes, & cõmotiones articulorũ, omenti, inteſtinorumque, rupto περιτονεω, vel ſaltem, laxato in ſcrotum deuolutiones, quas Græci ἐπιπλοκήλην, ἐντεροκήλην, ἐντεροεπιπλοκήλην, Latini, hernias, & rapturas nominant: in quibus omnibus conueniens, & naturalis partium ſitus vitiatur. Alii ſunt penes mutuam partium connexionem, continguntque vbi partium vicinarum, inter ſe ſe, conſenſus, à naturali ordine receſſerit; vt

rit; vt

rit; vt cernere eſt in vinculo, quo duę partes cō-
nectuntur, laxo intento, aut abrupto. Huc
ſpectat, labrorum, digitorum, reliquarumque
partium, quę naturaliter diſtare debent, cohæ-
rentia; vt & illarum quæ coherere debent ſe-
paratio, & diſruptio: poſſunt & hi affectus, ad
ſolutionem continui referri, prout vnitatem
naturalem ſoluunt, quamuis reſpectu corru-
ptæ compoſitionis, morbi ſint organici.

CAP. V.

DE MORBO COMMVNI.

SOlutionem continui, quam partibus ſimi-
laribus, & organicis, communem eſſe di-
ximus, ad ſolas ſimilares pertinere con-
tendit Auerr. cap. 14. lib. 3 colliget, tum quia
vnio, & continuitas, tantum ſunt partium ſi-
milarium, nec niſi illarum benefitio in orga-
nicas quadrant; tum quia actio organi non læ-
ditur, ſolutione hac, niſi interuentu, malę con-
formationis: Argenterius contra affectum
hunc organicum eſſe aſſerit, atque non tam ad
morbos, quam ad cauſas pertinere. Quod au-

tem

tem actio partium ſimilarium a continui ſolutione non lædatur primum ex eo demonſtrat, quod pars vlcerata, aut vulnerata, non minus bene, quam integra, omnes functiones naturales exerceat: imo fortaſſè melius, cum conſolidetur, & carne impleatur: deinde ex eo quod, Gal. paſſim exiſtimet, actionem partium ſimilarium, a ſolo temperamento dependere, nec vnquam vnionem, de illarum natura, aut eſſentia, eſſe dixerit, aut probauerit. Et certe, conſideratione dignum eſt, quod Gal. in perfecta ſanitate definienda, nunquam mentionem fecerit vnionis continui, ſed temperiei ſolum ſimilarium, & organicarum partium conformationis: vt cap. 4. & 5. artis paruæ, cap. 1. lib. 1. de ſanitate tuenda, & cap. 3. & vltimo, de optima corporis conſtitutione: vbi docet, ſanitatem, in εὐκρασίᾳ, ſeu bona temperie ſimilarium, & ſymmetria organicarum partium conſiſtere, nulla facta mentione vnionis continui. Quod ideo factum eſſe arbitror, quod vnio continui, non ſit cauſa propria, immediata, & principalis, alicuius actionis; ſed communis ſolum, & remota, quodque ea ſit conditio cauſæ remotæ, vt poſita non ponat effectum neceſſariò, & immediatè: ſublata vero,

aut

Digitized by Google

aut læſa tollat, vel lædat eundem; ideoquè iure recenſetur ſolutio continui, inter morbos, quamuis eiuſdem vnio, inter cauſas principales ſanitatis minimè annumeretur; & quoniam vnio hæc, communis eſt partibus ſimilaribus, & organicis, atque ambarum actioni neceſſaria, illius ſolutio, vt antea docuimus, morbus communis appellatur. Nec arduum eſt, ad Auerrois, & Argent. argumenta reſpondere. Falſum ſiquidem eſt, quod in primo argumento, præſupponit Auerroes, cum omnia ſint in corpore humano vnita, non ſolum ratione cutis, qua vniuerſa hæc moles corporea, circumueſtitur: ſed etiam reſpectu vaſorum, quæ licet ſecundum eſſentiam, ex ſimilarium ſint numero, reſpectu conformationis, inter organicas recenſentur; præterea Medici, ſub continuitate, contiguitatem comprehendunt. Falſum quoq; eſt, quod in ſecundo, aſſumit argumento; nam vulnus, in manu acceptum, apprehenſionem per ſe lædit, nullo morbo organico interueniente, & quamuis interueniat, fiatq; morborum complicatio, non tamen, inde ſequitur, actionem non lædi immediate à ſolutione continui. Falſum eſt etiam, quod dicit Argent. nimirum, per hunc affectum,

fun-

Digitized by Google

functiones naturales, primo; & per ſe, non læ-
di: nec vos offendat, quod obijcit, de vlcere ca-
uo, & vulnere, cum deperditione ſubſtantiæ,
quæ conſolidantur, & carne, vel ſaltem callo
replentur; hoc etenim, non prouenit; tam ex
robore, ipſius facultatis, parti vulneratæ inſi-
tæ, cuius actiones haud dubie læduntur, quam
ex natura vniuerſali, quæ collectis quaſi viri-
bus patienti membro, venit in ſubſidium, &
auxiliatrice, quibus vtimur, remediorum vir-
tute. Nunc conſiderandæ veniunt differen-
tiæ, huius affectus, quæ potiſſimum ex ſubie-
cti, & cauſæ efficientis diuerſitate, deducun-
tur. Gal. cap. 11. de morb. differ. & lib 4. &
5. meth. partem affectam, ſeu ſubiectum re-
ſpiciens, ſolutionem continui, in oſſe appellat
fracturam, græcè κάταγμα, cuius 5. recenſen-
tur differentiæ, ab Aegin. cap 89. lib 6. Pr.
ῥαφανηδὸν σικυηδὸν, vel καυληδὸν dicitur, quan-
do os, in tranſuerſum rumpitur, & ſecundum
latitudinem, inſtar raphani, cucurbitæ, aut ſti-
pitis caulis. Secunda, vocatur σχιδακηδὸν,
quando aſſulatim, ſeu in longitudinem fran-
gitur, poteſtq; fiſſio, aut fiſſura appellari. Ter-
tia fractura εἰς ὄνυχα, quando vnguis, ſpe-
ciem refert, vel calami, & vocatur quoq; καλα-
μηδὸν.

μηδὸν. Quarta eſt ἀλφιτιδόν, quando os in multas tenues partes frangitur, inſtar farinæ. Vltima eſt ἀπόθραυσις καὶ ἀποκοπή hoc eſt ἀφαλμισις, quando pars oſſis omnino aufertur: vt bene definiatur fractura, ſolutio continui in oſſe, a cauſa aliqua externa, & violenta: nam caries oſſis, quam Græci τερηδὼν vocant, proprie, ad fracturas non pertinet. Cartilaginis ſolutio, nomen nondum inuenit. Solutiones continui, in neruo ſunt, punctura, inciſio in tranſuerſum, fiſſura in rectum, imo & conuulſio. Venæ quoque, & arteriæ, inciſionem patiuntur; præterea ἀναστόμωσιν, oſculorum apertioné, eorundemq; dilatationem, διάβρωσιν, ſeu eroſionem, & ῥῆξιν, ſeu ruptionem; nam tranſcolatio, quam Græci διαπήδησιν appellant, potius ad humorum tenuitatem, quam continui ſolutionem, referenda eſt. Membranarum ſolutio ruptura dicitur. Solutio continui, in cute, ſi ſuperficiaria ſit, excoriatio; ſi altius penetret, afficiatque carnoſam partem, vulnus, vel vlcus, nominatur: hoc, ſi ab humorum acrimonia, & cauſis internis: illud, ſi ab externo ſcindente, perforante, aut quouis modo vulnerante proficiſcatur: nam quæ citra vulnerationem in carnoſis partibus, contingit di-

S uiſio,

Digitized by Google

uulſio, a violenta attritione, colliſione, aut repentina, & confertim facta tenſione, non τραῦμα, aut ἕλκος, ſed ῥῆγμα nuncupatur. Αποσπάσματα, ſeu auulſiones, maximam hìc pariũt difficultatem, anſamq; Argent. argumentandi, ex eo enim, quod a Gal. propria dicantur, organicarum partium pathemata, infert Argent. ſolutionem continui, non eſſe morbum cõem, ſed organicum ſolum. Verũ ſciat Argent. ſolutionem continui in genere, nõ autem ſingulas illius ſpecies, tã ſimilaribus, q̃ organicis partibus conuenire: fractura etenim, non niſi oſſi, vlcus, non niſi partibus carnoſis, & auulſiones, nõ nſi organicis accidunt, in quibus partes, vel à toto corpore, penitus auellũtur, vt digitus, à manu, oculus, à capite, vel tantum, à ſe inuicem diuelluntur, in eodem corpore remanentes. Si inſtet Argent. attributa generis, ſingulis ſpeciebus conueuire: reſpondendum, hoc verum eſſe de iis quæ attribuuntur generi, ex parte rei, & per ſe, non autem de iis, quæ coueniunt per accidens, & ex parte notionum: alioquin canis eſſet communis equo, & boui: quoniam brutum eſt, & brutum eſt commune vtrique. Sed multo hìc maior occurrit difficultas, de vnione continui præter naturam, quæ

ſemper,

ſemper, inter morbos organicos, nunquam autem inter communes muneratur: quamuis veriſſimile ſit, ſolutionem, & vnionem continui, ad idem morbi genus pertinere. Difficultatis huius ſolutionem, nondum apud Authores inuenimus: quæ tamen, mea quidem ſententia, in eo conſiſtit, quod vnio continui naturalis communis ſit, partibus organicis, & ſimilaribus, non item ſolutio: hęc ſiquidem naturalis, & *κατὰ φύσιν* ſolis partibus organicis competit, & ob id, illius oppoſitum, vnio nempe præter naturam, morbus eſt vere organicus, ad ſitum pertinens. At vnio continui naturalis, partibus ſimilaribus, & organicis, eſt communis: & ob id, eius oppoſitum, ſolutio nempe *παρὰ φύσιν* morbum communem conſtituit: & ne ſit tergiuerſandi locus, ex vulgato illo axiomate (contraria ſub eodem genere continentur) dicimus ſolutionem continni, & vnionē continui, contra naturam, non ſibi inuicem eſſe contrarias, ſed ſolutionem, præter naturam, opponi naturali vnioni, & vnionem præter naturam naturali ſolutioni: & idcirco, cum nulla inueniatur, naturalis ſolutio, in partibus ſimilaribus, ſaltem qua ſimilares ſunt, in eaſdem cadere non poteſt vnio præter naturam.

CAP. VI.

DE ALIIS QVIBVSDAM *Morborum Differentijs.*

PRæter tria morborum genera, & ſubiectas illorum ſpecies, quę variè circumferri ſolent, alię ſunt differentię à 7. fontibus petitę, ſubiecto videlicet morbi, eiuſdem idea, cauſa efficiente, magnitudine, more, motu, & exitu, ſeu fine. Ratione ſubiecti, morbus vnus dicitur, vel plures, idiopathicus, ſympath. protopath. deuteropath: huc etiã ſpectant, morbi impliciti, conſequentes, connexi. Morbus vnus dicitur, qui vnam, eandemque corporis particulam occupat, ſiue ſimplex ſit, ſiue compoſitus, ſiue ſolitarius, ſiue comitatus. Plures vero, ſeu multi, plures obſident particulas, dicunturq; impliciti, cum obſeſſæ partes, in communem vſum, aut functionem, conſpirant: vt videre eſt in pleuritide, & aſtmate. Conſequentes vero, quando vnus, eſt alterius cauſa; ita tamen vt, præcedens, ſeu prior affectus non maneat, vt cernere eſt, in apoplexia, degenerante in paraliſin; ſi enim, poſteriore

adue-

aduenienre, prior ſuperſtes maneat, non conſequentes, ſed connexi dicuntur, & affectus præcedens conſequentis cauſa exiſtit: idq; vel propter morbi ipſius naturam, vt videmus in febre ſymptomatica, quæ inſeparabilis eſt, ab internorum viſcerum inflammatione, hepatis præſertim, lienis, ventriculi, & pulmonis: vel propter partium conditionem, quarum vna, alteri affectum communicat, vel per ſympathiam, quæ in vaſorum communione, generis conſortio, & vicinitate conſiſtit, vel propter ſitum decliuem, vel partium mendãtium robur, & pręſtantiã quę in ignobiliores, & imbecilliores ſua deponũt excremẽta. Atq; huc ſpectare videntur, morbi primarii, & ſecundarii, idiopathici, & ſympath.. Primarius ſeu protopath. dicitur, qui primo, & per ſe, partem aliquam occupat, nec ab alio, antea læſo, prouenit membro; nam ſi ab alio promanet, non protopathicus, ſed deuteropath. appellatur. Porro, affectus hic deuteropath. vt & quilibet alius, ſi firmiter, ſubiecto inhæreat, poſſitque ſubſiſtere, primario pereunte affectu, ſeu cauſa, à qua duxit originem, idiopathicus euadit. Si vero, totus pendeat ab effectu primario ſympathicus eſt. Verum quidem eſt, morbum omnem [illegible] ſympa-

[illegible]

Digitized by Google

ſympathicum, temporis tractu, ſi perſeueret, in partem ſympathia affectã, altiores agere radices, atque tandem in idiopathicum degenerare: v.g. capitis dolor, qui ab initio ſympathicus eſt, & ab affectu ſtomachi dependens, tandem propria ipſius capitis fit paſſio: & epilepſia, in principio ſympathica, a vẽtriculo, liene, vtero, vel quouis alio mẽbro, humores, vapores, ſeu auram, malignã in cerebrũ mittente, temporis progreſſu, idiopathica euadit. Si diſtantes, diſiunctæque partes, quibus morbi, eodem tempore incidunt, neq; communem aliquam functionem, aut vſum obtineant, neque ſibi inuicem cõmunicent ægritudinis cauſam, morbi diſiuncti, ſeu diuerſi appellantur, cuiuſmodi ſunt, ophtalmia & calculus renum. Morbus vniuerſalis; totum corpus occupat, idque vel ſua eſſentia, & qualitate, vt febris, vel ſymptomate aliquo, vt apoplexia. Particularis contra vnicam tantum partem exercet, vt calculus, veſſicam, vel renes. Morbi externi in ſuperficie, interni, in corporis profundo exiſtunt. Morbi congeneres, cum ægrotantium natura conueniunt, vt febris tertiana, cum bilioſo: degeneres contra, ab eadem diſſentiunt, vt tertiana, a pituitoſo. Ad horum ſenſum, referendi ſunt morbi vernales, æſtiuales, autumnales,

mnales,

mnales, hiemales, necnon ſexuum, & ætatum. Poſſunt tamen morborum differentiæ, a diuerſa temporum conſtitutione, etiam ad cauſam efficientem referri, ratione aeris ambientis. Si ideam morbi ſpectemus, alii ſunt legitimi ſeu veri, alii ſpurii & nothi, alii ſimplices, alii compoſiti. Veros vocamus, & legitimos, qui in ſuo genere, naturam ſuam maximè retinent, generiſque, ac ſpeciei, tam ratione cauſarum, quam ſymptomatum ideam repreſentant: v. g. tertiana legitima dicitur, quæ fit, ex pura, & ſincera bile, ad ſenſum incipit cum rigore, & vomitu, & ſeptimo, vel nono ad maximum, terminatur paroxiſmo. Contra ſi fiat ex bile, pituitæ admixta, excedatque præſcriptum terminum, ſpuria eſt, & notha. Morbus dicitur ſimplex, qui vnius eſt ſpeciei, vt quælibet ſimplex intemperies; vitium magnitudinis, numeri, ſitus, vel figuræ ſolitarium, & ſine comitatu alterius morbi; & ſi morbus hic, ſit abſq; præſentia cauſæ efficiẽtis, aut grauis alicuius ſymptomatis, quod ad ſe, curantis conſilium reuocet, ſolitarius appellatur, comitatus vero, ſi foueatur a cauſa aliqua continente, vt ab obſtructione, aut ſi, comitem habeat, horrendum aliquod ſymptoma, vt paſſio iliaca, colica, nephri-

tis,

tis, arthritis. Compoſitus morbus, duplex reperitur, modo enim permiſcentur morbi eiuſdem generis, vt in hæmitritæo, febris tertiana, cum quotidiana: in calculo veſicæ, morbus in numero, cum morbo in cauitate: modo confunduntur, morbi diuerſorum generum, vt in vulnere inflammato, & tumoribus præter naturam, quibus inſunt, omnia tria morborum genera, intemperies ſcilicet, mala cõformatio, & ſolutio continui. Quod tumores, diuidantur in ſimplices, phlegmonem nempe, eriſipelas, ſchirrum, & œdema, & in compoſitos phlegmonem ſcilicet eryſipelatodem, eryſipelas, phlegmonodes. Hoc fit ratione cauſę, & humorum, ex quibus generantur, quamuis enim, tumor omnis, ſub ratione morbi, compoſitus ſit, poteſt tamen, reſpectu humorum, ex quorum fluxione, & congeſtione procreatur, in ſimplicem, & compoſitum diuidi; qui enim ab vno procedunt humore, ſimplices ſunt, vt phlegmone ex ſanguine, eryſipelas ex bile, œdema ex pituita, & ſchirrus, ex melancholia: qui vero ex pluribus, compoſiti cenſentur, vt phlegmone eryſipelatodes, ex maiore portione ſanguinis, & minore bilis, eryſipelas phlegmonodes, ex maiore portione bilis, & minore ſaguinis.

Idem

Idem de cœteris iudicium. A cauſa efficiente morbos habemus hæreditarios, quorum cauſa, cum generationis principiis, a parentibus in prolem diffunditur, & aduentitios, qui vel ab externis cauſis, vel ab internis, vel ab vtriſque procedunt, & quorum cauſa, aut materialis eſt; ideſt cum humore, vel flatu, coniuncta, aut immaterialis, item qui a communi aliqua cauſa dependent, atque inter ſe ſimilitudinem quandam obtinent, ſuntque, vt ait Hipp. ἀλλήλοις παραπλήσιοι, ſibi inuicem affines, communes dicuntur: qui verò neque cauſam agnoſcunt communem, neque ſibi inuicem ſimiles ſunt, ſporadici, ſeu ſparſi appellantur. Communes rurſum, vel epidemii ſunt, vel endemi j: hi eandem regionem perpetuo obſident, ob aerem patrium, & peculiarem alicuius regionis viuendi rationem: vt ſtrumæ Hiſpaniam, carbunculi Galliam Narbonenſem, bronchocele regionem Allobrogum. Poſſunt & in alias regiones, per contagium diffundi: vt Elephantiaſis, quæ ab Aegypto, & lues venerea, quæ ab India occidentali, in hunc noſtrum orbem migrauit: illi à ſyderum influxu, & cõmuni aeris corruptela promanant, & ſi pernicioſi admodum ſint, plurimoſque è medio tollant, peſti-

Digitized by Google

lentes vocantur; ſin minus, generis nomen retinent, & appellantur epidemii, vel peſtilentes ſine peſte. Morbi ſporadeis, vt dixi, nullam cauſam communem, ſed propriam vniuſcuiuſq; indiuidui conſtitutionem conſequuntur: vnde alii lumbricis, alii colico dolore, alii arthritide, alii pleuritide, alii tertiana, alii quartana, alii quotidiana febre laborant. Quippe ſi morbi adeo firmiter, ſubiecto inhæreant, vt neque egeant cauſa, ad productionem, neque ad conſeruationem, dicuntur in ἕξει, & æqualitate quadam conſiſtere: Si vero, non adeo firmiter, ſubiecto adhæreant, egeantque conſeruationis cauſa, dicuntur eſſe in σχέσει, ſeu diſpoſitione: imò & in fieri, ſi recentes admodū ſint, cauſaque egeant, ad maximæ ſuę partis productionem. Poſſunt & hæ differentiæ ad ſubiectum referri, præſertim ratione inhærentiæ. A magnitudine, morbi dicuntur magni, & parui. Dicitur morbus magnus, trifariam. primò ratione partis affectæ, qui partem aliquā principem, vel ad vitam neceſſariam obſidet. Deinde ratione cauſæ, qui habet cauſam vehementem. Tertio reſpectu ſymptomatum, qui grauiſſimis concomitatur ſymptomatis. Morbus paruus, contrario modo ſe habet. A more

ϛυνήθης,

Digitized by Google

εὐήθης, vel κακοήθης appellatur, ideſt boni moris, vel mali: hic maligni, & occulti, alicuius particeps eſt, cuius ratione, curatu redditur difficilis: vnde Gal. comment. 3. ad 1. Epid. cap. 1. morbum malignum eſſe iudicat, qui omnibus, rectè adminiſtratis, nihilo fit mitior, eum contra mitem eſſe, qui remediis ritè adhibitis cedit. Morbus ergo, mitis, & benignus dicitur, qui minus, quam pro natura ſua ſæuit, facileq; cedit remediis, malignus contra, qui difficilem admittit curationem: idque ob θεῖόν τι, & aliquam occultam qualitatem, (nam ſi hoc contingat, ob cauſarum, & ſymptom. vehementiam, nõ tàm morbus malignus, quàm magnus dicendus eſt.) Porro morbus malignus, alius venenatus eſt, idque propter venenum aſſumptum, vel in nobis genitum, alius peſtilens, qui non ſolum, venenatam habet qualitatem, vitę noſtræ infenſiſſimam, ſed etiam, propter cauſam communem, aeris videlicet corruptelam, in obuios quoſcumque graſſatur, plurimoſque iugulat; alius denique eſt contagioſus, qui ſe ſe multiplicat, atq; modo per contactum ſolum, vt rabies canina, modo per fomitem, veſtimentis, linteolis, & ſimilibus inhærentem, vt lepra, ſcabies, modo etiam ad diſtans, vt phti-

ſis,& febris peſtilens,alia corpora inficit,inquẽ iis affectum ſibi ſimilem producit. A motu, morbi alii dicuntur acuti, vel potius breues, & ὀλιγοχρόνιοι, qui celeriter, alii χρόνικοι, qui tarde, ſua percurrunt tempora: alii continui, qui à principio, ad finem, ſemper affligunt, nec vnquam intermittunt, licet interdum remittere, & miteſcere videantur, alii intermittentes,qui dilucida habent interualla,& per circuitus exacerbantur, alii ordinati, qui typum certum obſeruant,alii inordinati,qui omnis typi,& ordinis certi, ſunt expertes. Ex acutis rurſum alii ſunt perperacuti, qui primo terminantur quaternione,alii peracuti,qui ſecũdo,alii acuti ſimpliciter qui 14. die, ſi æqualiter, à primo moueantur,17. vero,20.vel 21. ſi 4 5.vel 6. die, exacui incipiunt: alii denique dicuntur acuti, ex decidentia,qui 40. diem attingere poſſunt. Nec putandum eſt, omnem illum morbum, acutum eſſe, qui celeriter ſua percurrit tempora; nam ſi propriè loquamur, neque ephemera,neque verè tertiana, acuti ſunt, ſed morbi potius mites, cum ephemera, periculo careat, & tertiana non tantum expers ſit periculi, ſed etiam intermittat. Morbus autem verè acutus, debet celeriter,cum periculo,& ſine vlla inter-

miſſio-

miſſione ſua tempora percurrere: poteſt tamen, vt antea dixi, miteſcere, & remittere, vt cernere eſt, in tertiana continua. Quicunque morbi remittunt, aut intermittunt, typum habent, qui nihil aliud eſt, quam ordo, inter intenſionem & remiſſionem, ſicuti periodus tempus vtriuſque. Ideo Gal. in libello de typis, typorum alios conſtituit primos, qui habent exacerbationem breuiorem remiſſione, cuiuſmodi ſunt, in tertianis, & quartanis, alios ſecundos, qui habent intenſionem remiſſione longiorem, vt in quotidianis, alios perſiſtentes, qui iiſdem horis accedunt, & remittunt, alios mobiles, eoſque, vel anticipantes, vel retardantes: hi exacerbationis tempus retardant, illi idem accelerant. Si typi hi, certum ſeruent ordinem, morbi dicuntur ordinati, ſin minus, inordinati. Denique ab exitu morbi, alii lethales, & incurabiles ſunt, qui mortem adferunt, aut ſubito, vt apoplexia, cholera morbus, iliaca paſſio, aut temporis tractu, vt lepra, raucedines in ſenibus, calculoſa renum diſpoſitio: alii ſunt ſalutares, quibus, vt plurimum, defunguntur ægri, ſi omnia rectè adminiſtrentur, vt æphemera, tertiana, & quatana vera: alii denique ſunt dubii, & ancipites, qui neque

ſpem

ſpem ſalutis omnino demunt, neque eandem penitus promittunt, & qui modo ad mortem, modo ad ſanitatem terminantur, vt ſunt ferè omnes febres continuæ, pleuritis, & ſimiles.

CAP. VII.

QVID? ET QVOTVPLEX SIT CAVSA.

HActenus de morborum generibus, & differentiis. Nunc explicandæ veniunt cauſæ, de quibus, hoc ordine differemus. Pr. docebimus, quid, & quotuplex ſit cauſa, apud Medicos, deinde cauſarum fontes aperiemus; deniq; ſimplicis cuiuſq; morbi generis cauſas interpretabimur. Quod ad primum attinet, quamuis morbus, vt pote accidens phyſicum, omnia quatuor cauſarum genera aliquo modo agnoſcat: Medici tamen, de cauſis differentes, effectrices ſolum intelligunt, apud quos materialis morbi cauſa, partium, formalis generum morborum, vt & finalis, ſi vlla morbis aſſignanda ſit, ſymptomatum nomine comprehenditur: non enim recipiendum eſt, Argent. dogma, humores, morborum mate-

materiam conſtituentis. Et ſi enim morbi, ex humorum vitio ſoboleſcentes, materiales vocentur, ad diſtinctionem, a morbis, in quibus, nulla eſt humorum conſideratio: non tamen exiſtimandum eſt, humores, materiam eſſe, aut ſubiectum morborum, ſed cauſas potius; & idcirco, vt docuimus, cap. præcedente, morbi diuiſio, in materiales, & immateriales, non a materia propriè dicta, quæ partes ſunt, & ſubiectum morbi, ſed a cauſa efficiente, deſumitur. Dixi humores eſſe ſubiectum cauſarum, quoniam ſubſtantia ſua, morbum non faciunt, ſed accidente aliquo, motu, ſitu, quantitate vel qualitate, qualitate quidē, immediatè, motu vero, quantitate, & ſitu, cōcomitanter (vt aiunt) & per mediā aliq̄ qualitatem, cuius beneficio comprimunt, diſtendunt, obſtruunt, vel aliud quidpiā ſimile operātur. Cauſam definit Gal. cap. 1. de ſympt. differ. quod ſuaptè natura, impertire poteſt, ei quod fit, aliquam generationis partem; quæ definitio, congruè quidem, vniuerſis quatuor cauſarum generibus, adaptari poteſt, maxime vero propriè, & peculiari quodam iure efficienti; cum quia præcœteris, ei quod fit, aliquam generationis partem impertit. tum quia medicus, illius præſerrim

rima-

rimatur cognitionem, eiuſdemq; ablationem, continuo molitur, citra quam impoſſibile eſt, quo actio immediatè læditur, morbum abigere. Poteſt & definiri cauſa, quod actionem lędit, morbi interuentu, quoniam quemadmodum a morbo immediate, ita a cauſa, mediante morbo, actio lęditur: & hęc definitio ſoli effectrici conuenit: nam forma, quæ genus, ſeu idea morbi eſt, actionem lædit immediate. Materia cum nihil aliud ſit, quam pars, actionem nullo modo vitiat, vt & nec finis, quoniam ſi vllus detur, eſt ipſamet actio læſa. Verum, cum cauſa efficiens, quadruplex reperiatur, vna per ſe, altera per accidens, tertia inſtrumentaria, & quarta, ſine qua non? Quæritur num traditæ definitiones, iſtis omnibus conueniant? Reſpondetur, idque iuxta mentem Gal. illas non competere cauſis ſine quibus: quoniam vt docet Gal. cauſæ illæ, nihil inferunt, ei quod fit, ſed inferentes ſolum impellunt. Non eſt hic admittenda, illorum ſententia, qui cauſam, ſine qua non, cum concauſa confundunt: cum vt patet ex introductione medica, concauſa quam Græci, *συναιτίαν* appellant, poſſit & per ſe, & cum alterius concomitatu affectionem producere; vt cernere eſt,

in

in calculo veſicę, qui cum ſolus, tum cum eiuſdem partis phlegmone, vrinę excretionem impedit: ad συνεργον, ſeu cauſam adiutricem, & cooperantem, potius referenda videtur. Nec tamen, hoc admittendum, cum συνεργον, locò citato, pars ſit ipſius cauſę, atq; cum altero coo peretur, ad affectum producendum: vt libido, ad Arthritidem, & remigatio ad ſanguinis excretionem. At cauſa ſine qua non, neq; eſt pars cauſæ per ſe, neq; ſimul cum aliis operatur, ſed operantes, vt iam dixi impellit: v. g. ætas iuuenilis, non cooperatur, vt remigatio, ad ſanguinis excretionem, impellit tamen eius cauſas, ob maiorem videlicet ſanguinis feruorem, & tenuitatem; quo enim ſanguis calidior, & tenuior eſt, eo nos, ad vehementiores motus impellit, agitatus magis ferueſcit, faciliuſq; diſrumpit vaſa, vel eorundem oſcula reſerat. Ira ſimiliter non vulnerat, ſed ad vulnerandum impellit: vulnerat autem hoſtis tanquam cauſa principalis, & gladius, vt inſtrumentum. Verum parum intereſt medici, hæc ita acurate diſtinguere, cui ſatis eſt, ex Gal. illud quod per ſe, ab eo, quod per accidens operatur, diſcernere. Volunt medici illud per ſe agere, quod primum, & immediatè

operatur, per accidens vero, quod ſecundario, & per conſequentiam, effectum producit. v. g. rhabarbarum per ſe viſcera calefacit, quia calidum eſt, eadem vero refrigerat per accidens ſcilicet, calidi, & biliosi humoris euacuatione. Cauſarum, aliæ ſunt communes, aliæ particulares, & omnes, externæ, vel internæ; externæ procatharticę, & prægreſſæ nominantur, internæ in προηγουμένας, ideſt antecedentes, & συνεκτικάς, ideſt continentes diuiduntur: quarum omnium ordo eſt, vt coniunctæ, ex antecedentibus, & hæ, ex procatharticis oriantur: v. g. otium, & crapulà, quæ cauſæ primitiuæ ſunt, cruditates pariunt, & per conſequens, lentos craſſoſq; humores, ex quibus tandem calculus procreatur, cauſa coniuncta obſtructionis, in renibus, vel in veſica. Scio quidem magnam eſſe inter Authores controuerſiam de cauſa continente: qui eam non admittunt, obtrudunt, omnem morbum eſſe in facto, & Gal. nullam feciſſe illius mentionem, in lib. de morborum cauſis, quibus occurro. Illud quod in facto eſt, & habet διαμονήν, poſſe dependere, à cauſa, non tanquam à generante, ſed vt, à conſeruante; præterea, affectus qui in facto eſt, ſecundum quaſdam partes, poteſt eſſe in

fieri

Digitized by Google

fieri ſecundum alias: v. g. intemperies calida vt 3. dum intenditur, eſt in facto, ratione graduum acquiſitorum, reſpectu vero acquirendorum, in fieri. Si opponas Gal. comm. 2. de nat. hum. Iulianum quemdam, erroris arguere, quod in omnibus, cauſam continentem agnouerit, cum illorum eſſentiæ quæ in facto ſunt, non effectrice, ſed forma potius contineantur. Reſp. Gal. eo loci, de iis eſſe intelligendum, quæ ſunt in ἕξει, atq; adeo firmiter ſubiecto inhærent, vt nullius efficientis opera egeant, ad hoc vt durent, cuiuſmodi eſt febris hectica. At quæ adhuc ſunt in χέσει, nec firmam obtinent in ſubiecto exiſtentiam, citra cauſæ præſentiam diu ſubſiſtere nequeunt. Si vrgeas, cauſam definiri, quod fienti aliquam generationis partem largitur, & per conſequens, cauſam conſeruantem, aut nullam eſſe, aut ſaltem, ei non competere definitionem cauſæ à Gal. allatam. Reſp. vnam, eandemq eſſe cauſam generationis, & conſeruationis, & in hoc tantum diſtingui, quod dicatur cauſa generationis, quando res eſt in fieri, conſeruationis, quando eſt in facto: & quamuis, tunc temporis, ei quod fit, nullam impertiat generationis partem: quia tamen antea imperti-

 ta eſt,

ta eſt, & natura nata eſt impertiri, dicitur cauſa; neque enim dicit Gal. cauſam eſſe, quod inducit, ſed quod poteſt inducere ei, quod fit, aliquam generationis partem: non meminit denique Gal. in lib. de cauſis morb. cauſæ continentis, quia ibi loquitur, iuxta communem opinionem, à Græcis, ſuo tempore receptam, qui tantum cauſas προηγουμένας, & προκαταρτικὰς agnouerunt. At aliis plurimis in locis, cauſam hanc admittit, vt 6. Epid ſect. 3. textu 20. & 10. de cauſ. pulſ. cap. 1. & paſſim alibi. Si hoc non placet? Reſp. Gal. in lib. de morb. cauſis, tantum loqui de iis cauſis, quæ manifeſtè, à morbo diſtinguntur, cuiuſmodi non eſt cauſa continens.

CAPVT VIII.

DE CAVSIS EXTERNIS, & Internis.

IAM quod ſecundo loco explicandum propoſuimus, videndum eſt ex quibus fontibus repetantur cauſæ? Vnanimis eſt, omnium Authorum opinio, cauſas vel ab externis, vel ab internis rebus prouenire: vnde il-

la, cuius antea meminimus, cauſarum diuiſio, in externas, & internas. Externarum materia quatuor complectitur genera, vnum aſſumendorum, alterum faciendorum, tertiū educendorum, & quartum admouēdorum; quibus iuxta Gal. non modo cuſtodia ſanitatis perficitur, verum etiam morborum omnium generatio, & curatio; hæc enim ſuo comprehendunt ambitu, ſex illas res non naturales, vulgo cauſas ſalubres dictas; quarum vſu moderato ſanitas conſeruatur, immoderato vero deperditur, ſimul & ea omnia, quæ corpori fortuito accidunt. & quamuis pleraque, horum corpori ineſſe videantur, vt animi pathemata, ſomnus, vigilia, excreta, retenta, quia tamen, ita perſpicua ſunt, vt nobis quaſi exterius poſita, ſine vllo λογίσμῳ innoteſcant, vt pote, vel autopſia, & ſenſuum inditio, vel ex ipſius ægri, & aſtantiū relatu, obtinuit vſus, vt res externæ dicantur, facta comparatione ad internas, quæ abditæ magis ſunt, & abſconditæ, quæque non poſſunt abſq; diſcurſu, & accurata ratiocinatione intelligi. Non moror hìc illorum ſententiam, qui volūt animi pathemata, inter res externas annumerari, quod ab anima procedant, quæ diuerſa eſt à corpore: certum ſi quidem eſt, per-

cur-

turbationes iſtas corporis ſequi temperamentum, & eſſe animæ, cum corpore communes. Nec etiam placet, quod à quibuſdam dicitur, dicta pathemata ſemper fieri à cauſis externis: nam melancholici ſine vlla cauſa externa, metu, & triſtitia percelluntur. Sed iam quatuor enumerata cauſarũ externarũ, ſeu procatharticarum genera perſtringamus. Per aſſumẽda, ea omnia intelligimus, quæ corpus noſtrum ingrediuntur: ſiuè exhibeantur per os, vt alimenta, medicamenta, & venena, ſiue inſpiratu attrahantur, vt aer, ſiue demum, per aluum, vterum, penem, aures, reliquaſque partes iniiciantur. Faciendorum nomine comprehenduntur ambulationes, ſaltationes, equitationes, ſomnus, vigilia, venus, exercitatio quælibet, & vno verbo, omnes actiones, quę quouis modo, à noſtro pendent arbitratu, ſiue fiant à nobis, ſiue ab aliis in nobis. Ad educenda pertinent omnium excrementorum, tam quantitate, quam qualitate peccantium, & non peccantium retentio, & euacuatio. Serie demum admouendorum ea omnia continentur, quæ deforis incidunt, vt cœlorum influentiæ, aſtrorum aſpectus, lumen, & motus, aer ambiens, balnea, beſtiarum occurſus, gladiorum, & ruentis lapidis

ictus,

ictus, vnctiones omnes, emplaſtrorum, & cataplaſmatum applicationes, & reliqua omnia, quæ abſque aſſumptione, & iniectione extrinſecus adueniunt. Quatuor hæc cauſarum genera, ad duo reduci poſſunt, quorum vnũ cauſas neceſſarias, alterum non neceſſarias comprehendit. Neceſſariæ, dicuntur ſine quibus vita conſiſtere nequit, ſeu quod idem eſt, quas non pennes eſt nos euitare, vt cęli influxus, aer ambiens, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigiliæ, excreta, retenta, & animi pathemata. Non neceſſarię, à nobis euitari poſſunt, aut ſaltem abſque illarum vſu vita poteſt conſeruari: cuiuſmodi ſunt, hic aer, hic cibus, gladii, vel ruentis lapidis ictus, ferarum occurſus, veneni aſſumptio, & id genus reliqua, quæ fortuito accidunt, quorum nulla datur ars: non quod artis non ſit, genera & vim illorum docere, ſed quod ad medicum non pertineat, præcœpta tradere, quibus doceamur eorum cauere impetum, & iniurias. At quę ad vitam neceſſaria ſunt, ſub artem cadunt, inque ea conſiderantur, cum vt cauſæ ſalubres, tum vt inſalubres: vt ſalubres, rurſus bifariam, nempè conſeruatrices, & effectrices ſanitatis: hæ deperditam reſtituunt, illæ præſentem conſeruant ſanitatem. Conſeruant

quæ

quæ moderatæ, & corpori ſimiles exiſtunt: reſtituunt, quæ ſunt morbo contrariæ, & æqualiter, atque vt is à mediocritate in diuerſum deflexerunt. Quemadmodum conſeruatrices ad hygieinam, & curatrices ad medendi methodum: ita cauſę inſalubres, & morboſæ, ad hanc quam iam pertractamus artis partem accommodantur, in qua in genere conſiderantur, prout corpora noſtra immutant, atq; in iiſdem varia procreant morborum genera: ſiue ea ob ſuam vehementiam immediate producant; vt cernere eſt in ephemera, & hectica, quę fit incipiendo, vulnere enſe inflicto, & ſimilibus, quæ à cauſis euidentibus immediate promanant, ſiue mediate, & quæ ab illis ſuſcitantur, cauſarum internarum interuentu, quæ in antecedentes, & continentes diuiduntur. Si quis obtrudat authorem introduct. medicæ, ſagittam tanquam cauſæ continentis exemplū, in medium adferre, quæ tamen ad externas cauſas pertinere videtur? Reſp. telum membro alicui inhærens, vel conſiderari prout extrinſecus adueniens continuum ſoluit, & ſic quidem cauſa immediata eſt, non tamen contines: quoniam hac ratione in corp. non conſiſtit, nec eo ſublato, tollitur neceſſario ſolutio continui, vel

prout

prout corpori inhærens morbum facit in numero toto genere præter naturam: & ſic cauſa continens eſt, atq; poſita, ponit, & ſublata tollit morbum. Cauſæ internæ dicuntur, quæ in corpore abſconditæ vulgarem hominum notitiam latent, vocanturq; continentes, ſi ita morbis adhæreſcant, vt poſitis ponantur, & ſublatis tollantur morbi: ſin minus remotæ ſunt, & antecedentes. Harum cauſarum materia ea omnia complectitur, quæ in corpore latentia, ſanitatis ſymmetriam diſſoluunt, totiq; corpori, aut alicui membro, diſpoſitionem morboſam, vel mediate, vel immediate inurunt; vt ſpiritus, flatus, vapores, humores, excrementa tam naturalia, quam præter naturam, arenulæ, lumbrici, calculi, pus, & reliqua eiuſmodi, ſiue ſint toto genere præter naturam, ſiue non. Maxime in vitio eſſe ſolent humores, motu præſertim, quantitate, & qualitate: ſi ſanguis, vel omnes humores ſimul, debita ſeruata proportione, redundent, efficitur plethora; ſi vero bilis flaua, melancholia, aut pituita debitam excedant proportionem, peccentq; ſecundum qualitatem, oritur cacochymia. Peccant autem humores, non ſolum primis qualitatibus, vt quando ſunt iu-

ſto calidiores, frigidiores, humidiores, aut ſicciores, ſed etiam ſecundis, vt cum ſunt tenuiores, craſsiores, aut viſcidiores quam oportet, quando non ſeruant naturalem colorem, aut ſaporem, vel in alia delinqunt qualitate. Hip. lib. de natura humana, cauſas omnes internas morborum, ad quatuor humores referre videtur, in lib. de vict. rat. in acut. bilem tantum & pituitam, morborum cauſas conſtituit, in libello de flatibus, ſolum flatum. Apparentem hanc in ſcriptis Hipp. contradictionem, eleganter tollit ſolertiſſimus Varandeus vniuerſitatis Monſp. olim Decanus plurimum reuerendus, cap. 3. partis 3. vniuerſalis ſuæ pathologiæ, vbi contendit Hipp. in lib. de nat. humana, nomine quatuor humorum, ea omnia intelligere, quæ in corpore contenta, & 4. elementis correſpondentia, morbos excitare poſſunt: in lib. vero de victus ratione in acut. de iis tantum loqui, quæ fræquentius morbos ſolent procreare: cuiuſmodi ſunt bilis vtraq; quam nomine bilis ibi intelligit, pituita, & ſeroſi humores, quos ibi ſub pituita cõplectitur. Quod ad ſanguinem attinet, quotieſcunq; alterationem ſubit effatu dignam, in alios degenerat humores: & ob id ab Hipp. lib. citato omittitur.

tur. In lib. deniq; de flatib. vult Hipp. generalem quandam, & communem cauſam inquirere, quæ omnibus reliquis quaſi particularibus motum præſtet. Nam ſicuti (inquit) naturalis ſpiritus, quem ille ſub flatus nomine complexus eſt, ad animantis naturam confirmandam, conſeruandamque, præcipuam vim obtinet: ita e contrario præter naturam affectus maximam vim ad illam deſtruendam obtinebit.

CAP. IX.

DE CAVSIS VNIVSCVIVSQ; MORBI.

QVoniam morbus, antequam pręſcindatur cauſa, curari nequit: nec poteſt cauſa incognita præſcindi; non ſatis eſt medico, naturam communem, & vniuerſales cauſarum differentias cognoſcere: ſed oportet etiam in particularem vniuſcuiuſque morbi cognitionem deſcendat. Ideoque explicatis cauſarum in genere differentiis; eſt quod eaſdem ſecundum præcipua morborum genera interpretemur, ſumpto exordio à morbo ſimilari, ſeu intemperie: quę vel ſimplex eſt,

quod fit, quia in putredine augetur calor extraneus, diſſipatur humor, quo obtunditur, & quæ eius lima eſt, introducitur ſiccitas; imo perſeuerante putredine, & conſumpta omni humiditate, tandem defectu pabuli, ipſe calor extinguitur. Dum autem humidum à ſicco, & partes tenuiores, à craſſioribus ſeparantur, excitatur anathymiaſis, & euaporatio, quæ ſi in viuente corpore cor feriat, inq; partes cordi vicinas diffundatur, febrem excitat. Calorem, vicinia, & contactu rei calidæ, tam procreari, quam intendi, ita manifeſtum eſt, vt nulla prorſus egeat confirmatione: præſertim in arte noſtra in qua videmus inflammationem ſecundum inguina, vel alia membra conſiſtentem, calorem in vniuerſum corpus deriuare, in cor præſertim: vnde excitatur febris: nec minus hoc perſpicuum eſt, in calidorum quæ aſſumuntur vſu, ſiue alimenta ſint, ſiue medicamenta. Hinc eſt quod febricitantibus vini, piperis, aliorumq; calidorum vſu interdicatur, ſaltem ratione febris: concedi enim aliquando poſſunt ad cauſæ ſublationem. Quod ſi catarri, paralyſis, arthritis, aliiq; affectus frigidi, ex immoderato calidorum vſu, vini præſertim promanant. Hoc non per ſe, ſed per accidens

pro-

Digitized by Google

prouenit: propter videlicet vberiorem anathymiaſin in cerebrum, & præfocationem inſiti caloris, ab excedente aſſumptorum caliditate factam. Vinum præterea, ſua dulcedine, ab hepate auidiſſimè attractum, ſecum ducit chylum ſemicrudum, & incoctum, vnde in hepate maximus fit, humoris pituitoſi, & crudi prouentus: non poteſt enim coctio ſecunda primam emendare. Per accidens ſimiliter, morbum procreant calidum aſtringentia, & quæ meatus, atq; foramina corporis occludunt, in quorum ſenſu ſunt, natatio in aquis aluminoſis, & gypſeis, medicamenta omnia emplaſtica, & quæ vim habent concentrandi, cogendiq; calorem. Acres etenim, & fuliginoſi humores ventilatione, & tranſpiratione prohibita, ſtatim inflammantur, febremq; accendunt: vt docet Gal. 8. meth. cap. 2. exemplo cuiuſdam iuuenis, qui balneis aluminoſis, albulis prope Romam dictis, vſus erat. Fames quoq; & vigiliæ calidã accerſũt intẽperiem, poſſũtq; ad motum referri. De vigilia nemo dubitat, cum ſit potentiæ animalis labor, & agitatio, vt & ſomnus eiuſdem quies; fames vero, non ſolum motu acriorum humorum, qui deficiente legitimo alimento, ad partes alendas attrahuntur,

ſed etiam eorundem ad viſcera principalia, cor præſertim appulſu, febrem accendit. Intemperies frigida, cauſam quadruplicem agnoſcit, ex cap. 3 huius tract. Pr. eſt contactus, ſeu vicinia frigidorum, v. g. glaciei, niuis, & ſimilium; quamuis enim hæc, antiperiſtaſi, & caloris concentratione, caliditatem in corp. robuſtis, per accidens adaugeant, per ſe tamen, eundem imminuunt, & extinguunt. Vnde fit, vt qui per niues, & loca frigida tranſeunt, in gangrenam, & νέκρωσιν, extremitatum præcipue, ſæpe numero incidant. Cauſa ſecunda ad frigida aſſumpta refertur, quæ qualitate oppugnant, & quantitate obruunt calorem. Tertia ad nimiam conſtipationem, & raritatem pertinet: hæc immoderata caloris diſſipatione, illa eiuſdem ſuffocatione, intemperiem frigidam procreat. Nec putandum eſt, quamlibet conſtipationem, frigiditatem efficere: leuior enim & mediocris putredinis calorem adauget, ſed immodicam ſolum, & quæ caloris viuifici influxum penitus tollit, vel ſaltem magna ex parte impedit, caloremq; extinguit. Sic ignis ſub plurimo ſole, & æſtiuo, & aprico loco accenſus, vel etiam motu agitatus immodico, contabeſcit: idq; ob rarefactionem nimiam:

Digitized by Google

miam: vt & flamma in admota cucurbitula, quæ non tantum ob nimiam raritatem, verum etiam ob defectum communicationis ambientis aeris extinguitur. Quarta otium nimium, & labores vehementiores complectitur; vt enim hi calorem reſoluunt, ita illud excrementitiæ humiditatis multitudine, quæ moderata exercitatione erat diſſipanda, eundem obruit. Variè, & multifariam exſiccantur animantium corpora, vt humidi diſsipatione, per inſenſibilem tranſpirationem ac ſudores, victu tenui & ſicco, curis, vigiliis, ſicca aeris conſtitutione, balneorum exſiccantium vſu, & medicamentis exſiccantibus, tam aſſumptis, quam admotis: quæ omnia, vel alteratione, vel humidi reſolutione ſiccitatem inducunt. Humiditas à contrariis cauſis procedit, quarum aliæ alterando, vt largior potus, copia alimentorum humidorum & euchymorum, & vicinia corporis humidi, vt aeris paluſtris, auſtriuiq; flatus, balnea aquæ dulcis & tepentis: aliæ retinendo quæ euacuari debent, humectant, vt pororum obſtructio, conſuetæ alicuius euacuationis ſuppreſsio, & ſimilia: imo per accidens, humectantur partes frictione mediocri, balneatione à cibo, dropace, &

ſimilibus quibus humores ad illas attrahuntur.

Intemperies compoſitæ, vel nudæ ſunt, vel cum materia coniunctæ. Nudæ oriuntur ex coniunctione cauſarum, quæ ſimplices efficiunt, imo & interdum ex vna ſola, ſi non primario & per ſe, ſaltem ſecundario & per conſequentiam. Calefacientia etenim, vna cum calore, reſolutione humidi, ſiccitatem producunt: frigus vero, aut reſolutionem humidi impediendo, aut cruditates multiplicando, ſibi comitem acceſſit ſæpe numero humiditatem. Quæ materiales ſunt, cauſam agnoſcunt, alicuius humoris congeſtionem, aut fluxionem, ſed hanc præcipue: ideo vocantur à Gal. ῥευμάτων ἔγγονα νοσήματα, morbi ex fluxione geniti, cap 6. de morb. cauſis. Humores autem qui fluunt; ſunt quatuor illi, quorum antea fræquens facta eſt mentio: inter quos, aptiores ſunt ad fluxionem, qui tenuiores ſunt. Incitatur autem fluxio membri mittentis robore, recipientis debilitate, dolore, caliditate, ſituq; decliui, nec non ductuum & viarum dilatatione, & ipſorum humorum tenuitate. Hæc de cauſis morbi ſimiliaris. Nunc organici explicandæ ſunt, & conformationis, qui ad figuræ, cauitatum, ac ductuum, & leuitatis

atq;

Digitized by Google

atq; aſperitatis vitia referuntur. Accidit figuræ morbus in vtero, partim à cauſis procatharticis, vt à caſu, percuſsione compreſsione, horrore, timore, cupiditate, & ſimilibus, partim à cauſis antecedentibus, materia vt pote generationi ſubiecta, quantitate, & qualitate actioni formatricis reſiſtente. Extra vterum ſimiliter vitiari poteſt figura, tam cauſis procatharticis, quam antecedentibus; quod ita in ſe perſpicuum eſt, vt nulla prorſus egeat explicatione. Cauſarum quibus læduntur inſtrumentorum cauitates, & ductus, ſex conſtituuntur à Gal. differentiæ cap. 7. de cauſis morb. coalitus, anguſtia, obſtructio, compreſsio, ſubſidentia, & oſculorum apertio, σύμφυσις στενοχωρία, ἔμφραξις, θλίψις, συνίζησις, & ἀναστόμωσις; per σύμφυσιν, cauitates coaleſcunt vtrinque e lateribus vlceratæ? quomodo in muliere quadam collum vteri, poſt partum difficilem, coaluiſſe refert Stupanus, per στενοχωρίαν, ſeu anguſtiam, anguſtiores euadunt, ob tumorem intus exiſtentem; vt fræquenter accidit in iliaca paſſione, per ἔμφραξιν, ab humore, vel alio quouis obſtruente, per θλίψιν, ab extrinſecis comprimuntur: quomodo cernimus deglutionis, & reſpirationis vias comprimi, & angu-

guſtiores euadere in angina à dente luxato. Συνίζησις ſubſidunt latera cauitatem continentia ob nimiam ſiccitatem. Per ἀναστόμωσιν deniq; aperiuntur ora venarum, quæ apertio morbus communis eſt, prout ſoluitur continuum, organicus vero, prout meatus, & figura vitiatur. Partium leuitas non naturalis, fit humorum viſcidorum, & lentorum irrigatione: vt videre eſt in lienteria, & cæliaca paſsione, quæ à ventriculi, & inteſtinorum leuitate procedunt. Aſperitas contra fit irrigatione humorum acrium, quibus ineſt corrodendi, aſtringendi, aut corrugandi vis: vt accidere videmus faucibus, laryngi, arteriæ aſperæ, in tuſsi ab humore acri. Cauſæ morborum in numero deficiente 4. ſolent eſſe præcipuæ; nimirum ſectio, qua pars aliqua amputatur, ſiue fortuito fiat, ſiue de induſtria: vſtio quæ fit ab igne, candente ferro, aqua feruente, & ſimilibus. Putrefactio quæ partim medicamentis, partim prauis humoribus, membris νέκρωσιν infert, eademq; deſidere facit, & inſignis refrigeratio, quæ extinctione caloris natiui, partes extremas præſertim, in ſphacelum præcipitat; vnde ſequitur earundem mors, & à toto ſeparatio. Qui vero morbi in numero aucto conſi-

ſtunt, ſi ſint ex eorum genere, quæ ſunt ſecundum naturam, vt ſextus digitus, tertius teſtis, vtilis materiæ copiã, & formatricis robur cauſã habent. Si vero ſint toto genere præter naturam, à materia praua procedunt. Aucta magnitudo, ſi coniuncta ſit cum laudabili conformatione; & ex materiæ vtilis copia, vt & ex robore formatricis oritur: ſin contra vitiata ſit conformatio, ex materiæ redundantia ſolum. Imminuta magnitudo contrarias agnoſcit cauſas. Morbi in ſitu vt antea audiuiſtis, vel contingunt quando membra extra ſuum locum conſiſtunt, vel quando in ſuo loco conſiſtentia, non recte cum vicinis partibus copulantur. E proprio, & conuenienti dimouentur loco; primum per luxationes, quę fiunt vehementi articulorum motu, eorumdemque ob nimiam humiditatem, laxatis ligamentis, nec non fractis cotylarum labiis. Secundo per hernias, rupta ſcilicet, aut dilatata productione peritonæi, per quam feruntur vaſa ſpermatica; & deniq; per vulnera; vulnerato ſcilicet quouis membro, ad alia continenda comparato: vt ſi vulnerato pectore pulmo excidat, aut peritonæo inteſtina. Quod membra cum vicinis non legitime iungantur, in cauſa eſt

liga-

ſto calidiores, frigidiores, humidiores, aut ſicciores, ſed etiam ſecundis, vt cum ſunt tenuiores, craſſiores, aut viſcidiores quam oportet, quando non ſeruant naturalem colorem, aut ſaporem, vel in alia delinquunt qualitate. Hip. lib. de natura humana, cauſas omnes internas morborum, ad quatuor humores referre videtur, in lib. de vict. rat. in acut. bilem tantum & pituitam, morborum cauſas conſtituit, in libello de flatibus, ſolum flatum. Apparentem hanc in ſcriptis Hipp. contradictionem, eleganter tollit ſolertiſſimus Varandeus vniuerſitatis Monſp. olim Decanus plurimum reuerendus, cap. 3. partis 3. vniuerſalis ſuæ pathologiæ, vbi contendit Hipp. in lib. de nat. humana, nomine quatuor humorum, ea omnia intelligere, quæ in corpore contenta, & 4. elementis correſpondentia, morbos excitare poſſunt: in lib. vero de victus ratione in acut. de iis tantum loqui, quæ fræquentius morbos ſolent procreare: cuiuſmodi ſunt bilis vtraq; quam nomine bilis ibi intelligit, pituita, & ſeroſi humores, quos ibi ſub pituita cōplectitur. Quod ad ſanguinem attinet, quotieſcunq; alterarionem ſubit effatu dignam, in alios degenerat humores: & ob id ab Hipp. lib. citato omittitur.

tur. In lib. deniq; de flatib. vult Hipp. generalem quandam, & communem cauſam inquirere, quæ omnibus reliquis quaſi particularibus motum præſtet. Nam ſicuti (inquit) naturalis ſpiritus, quem ille ſub flatus nomine complexus eſt, ad animantis naturam confirmandam, conſeruandamque, præcipuam vim obtinet: ita e contrario præter naturam affectus maximam vim ad illam deſtruendam obtinebit.

C A P. IX.

DE CAVSIS VNIVSCVIVSQ; MORBI.

QVoniam morbus, antequam præſcindatur cauſa, curari nequit: nec poteſt cauſa incognita præſcindi; non ſatis eſt medico, naturam communem, & vniuerſales cauſarum differentias cognoſcere: ſed oportet etiam in particularem vniuſcuiuſque morbi cognitionem deſcendat. Ideoque explicatis cauſarum in genere differentiis; eſt quod eaſdem ſecundum præcipua morborum genera interpretemur, ſumpto exordio à morbo ſimilari, ſeu intemperie: quę vel ſimplex eſt,

by Google

vel compoſita. Inter ſimplices primum locum obtinet calida, cuius quinque conſtituit cauſas Gal. ſtatim in limine 2. cap. de cauſ. morb. & cap. 3. lib. 1. de febr. differ. nempe κίνησιν, σῆψιν ὁμιλίαν ἑτέρας θερμότητος, στέγνωσιν ἢ ἐπίσχεσιν ἀπορροῆς, ἐπιτήδειον τροφὴν motum, putredinem, calidioris alicuius corp. vicinaim, ſtipationem, ſeu retentionem, calidæ tranſpirationis, & calidorum, tum ciborum, ac potuum, tum medicamentorum aſſumptionem. Quod motu calor procreetur, & augeatur triplici exemplo, eoque maximè familiari comprobat: vno eorum quæ exercentur, altero lapidum colliſorum, & tertio flammæ ventilatæ, quæ omnia calidiora fiunt, ſi moueantur. At ventilatione, & motu, aer frigidior euadit? Reſp. hoc fieri, quia tranſmiſſo per agitationem aere, qui nobis iam familiaris effectus fuerat, atque quodammodò calefactus, alter ſub inde nouus nondum calefactus, in eius locum introducitur. Aqua etiam calida, licet per ſe, & in principio agitationis, motu magis incaleſcat, per accidens tamen, & progreſſu temp. refrigeratur: idque tam propter faciliorem partium tenuium, & calidarum euaporationem, quam (qui temperatior eſt) ambiētis aeris admixtionem,

nem,

nem. Quod autem per ſe motu incaleſcat, ex eo patet, quod frigida mota, calidior fiat. Verum quidem eſt, quo ſolidiora ſunt, maioremque obtinent reſiſtendi vim, quæ colliduntur corpora, eo magis incaleſcere: non enim, ex cuiuſuis lapidis attritu excutitur ignis, ſed ſolidioris ſolum, cuiuſmodi eſt ſilex; idq; ſi chalybe atteratur? Quomodo autem generetur ignis iſte, docet Alexander Aphrodiſeus problem. 58. vbi vult aerem interceptum, ex attritu magnopere attenuari, & attenuatum, ac vehementer calefactum in ignem verti. Huius rei fuſior explicatio ex philoſophia repetenda eſt. Satis eſt Medico ſcire per motum, & exercitationem vehementiorem, morbos calidos in humano corpore generari: quod ex eo deprehenditur, quod immodico motu in laſſitudinem incidamus, quæ nihil aliud eſt, quam calida intemperies muſculorum, & articulorum: nam ſi totum corpus occupet, illiuſq; actiones ſenſibiliter lædat, non laſſitudo, ſed febris appellatur. Ex putredine generari calorem docent ſterquilinia, quæ eo vſq; incaleſcunt, vt aliquando inde oriatur incendium. Teſtatur enim Gal. ſe vidiſſe colombarum ſtercora ob putredinem accenſa arſiſſe:

quod

quod ſit, quia in putredine augetur calor extraneus, diſſipatur humor, quo obtunditur, & quæ eius lima eſt, introducitur ſiccitas; imo perſeuerante putredine, & conſumpta omni humiditate, tandem defectu pabuli, ipſe calor extinguitur. Dum autem humidum à ſicco, & partes tenuiores, à craſſioribus ſeparantur, excitatur anathymiaſis, & euaporatio, quæ ſi in viuente corpore cor feriat, inq; partes cordi vicinas diffundatur, febrem excitat. Calorem, vicinia, & contactu rei calidæ, tam procreari, quàm intendi, ita manifeſtum eſt, vt nulla prorſus egeat confirmatione: præſertim in arte noſtra in qua videmus inflammationem ſecundum inguina, vel alia membra conſiſtentem, calorem in vniuerſum corpus deriuare, in cor præſertim: vnde excitatur febris: nec minus hoc perſpicuum eſt, in calidorum quæ aſſumuntur vſu, ſiue alimenta ſint, ſiue medicamenta. Hinc eſt quod febricitantibus vini, piperis, aliorumq; calidorum vſu interdicatur, ſaltem ratione febris: concedi enim aliquando poſſunt ad cauſæ ſublationem. Quod ſi catarri, paralyſis, arthritis, aliiq; affectus frigidi, ex immoderato calidorum vſu, vini præſertim promanarent. Hoc non per ſe, ſed per accidens

pro-

prouenit: propter videlicet vberiorem anathymiaſin in cerebrum, & præfocationem inſiti caloris, ab excedente aſſumptorum caliditate factam. Vinum præterea, ſua dulcedine, ab hepate auidiſſimè attractum, ſecum ducit chylum ſemicrudum, & incoctum, vnde in hepate maximus fit, humoris pituitoſi, & crudi prouentus: non poteſt enim coctio ſecunda primam emendare. Per accidens ſimiliter, morbum procreant calidum aſtringentia, & quæ meatus, atq; foramina corporis occludunt, in quorum ſenſu ſunt, natatio in aquis aluminoſis, & gypſeis, medicamenta omnia emplaſtica, & quæ vim habent concentrandi, cogendiq; calorem. Acres etenim, & fuliginoſi humores ventilatione, & tranſpiratione prohibita, ſtatim inflammantur, febremq; accendunt: vt docet Gal. 8. meth. cap. 2. exemplo cuiuſdam iuuenis, qui balneis aluminoſis, albulis prope Romam dictis, vſus erat. Fames quoq; & vigiliæ calidã accerſũt intẽperiem, poſſũtq; ad motum referri. De vigilia nemo dubitat, cum ſit potentiæ animalis labor, & agitatio, vt & ſomnus eiuſdem quies; fames vero, non ſolum motu acriorum humorum, qui deficiente legitimo alimento, ad partes alendas attrahuntur,

ſed

ſed etiam eorundem ad viſcera principalia, cor præſertim appulſu, febrem accendit. Intemperies frigida, cauſam quadruplicem agnoſcit, ex cap. 3 huius tract. Pr. eſt contactus, ſeu vicinia frigidorum, v. g. glaciei, niuis, & ſimilium; quamuis enim hæc, antiperiſtaſi, & caloris concentratione, caliditatem in corp. robuſtis, per accidens adaugeant, per ſe tamen, eundem imminuunt, & extingunt. Vnde fit, vt qui per niues, & loca frigida tranſeunt, in gangrenam, & νέκρωσιν, extremitatum præcipue, ſæpe numero incidant. Cauſa ſecunda ad frigida aſſumpta refertur, quæ qualitate oppugnant, & quantitate obruunt calorem. Tertia ad nimiam conſtipationem, & raritatem pertinet: hæc immoderata caloris diſſipatione, illa eiuſdem ſuffocatione, intemperiem frigidam procreat. Nec putandum eſt, quamlibet conſtipationem, frigiditatem efficere: leuior enim & mediocris putredinis calorem adauget, ſed immodicam ſolum, & quæ caloris viuifici influxum penitus tollit, vel ſaltem magna ex parte impedit, caloremq; extinguit. Sic ignis ſub plurimo ſole, & æſtiuo, & aprico loco accenſus, vel etiam motu agitatus immodico, contabeſcit: idq; ob rarefactionem nimiam:

miam: vt & flamma in admota cucurbitula, quæ non tantum ob nimiam raritatem, verum etiam ob defectum communicationis ambientis aeris extinguitur. Quarta otium nimium, & labores vehementiores complectitur; vt enim hi calorem reſoluunt, ita illud excrementitiæ humiditatis multitudine, quæ moderata exercitatione erat diſſipanda, eundem obruit. Variè, & multifariam exſiccantur animantium corpora, vt humidi diſsipatione, per inſenſibilem tranſpirationem ac ſudores, victu tenui & ſicco, curis, vigiliis, ſicca aeris conſtitutione, balneorum exſiccantium vſu, & medicamentis exſiccantibus, tam aſſumptis, quam admotis: quæ omnia, vel alteratione, vel humidi reſolutione ſiccitatem inducunt. Humiditas à contrariis cauſis procedit, quarum aliæ alterando, vt largior potus, copia alimentorum humidorum & euchymorum, & vicinia corporis humidi, vt aeris paluſtris, auſtriuiq; flatus, balnea aquæ dulcis & tepentis: aliæ retinendo quæ euacuari debent, humectant, vt pororum obſtructio, conſuetæ alicuius euacuationis ſuppreſsio, & ſimilia: imo per accidens, humectantur partes, frictione mediocri, balneatione à cibo, dropace, & ſimi-

ſimilibus quibus humores ad illas attrahuntur.

Intemperies compoſitæ, vel nudæ ſunt, vel cum materia coniunctæ. Nudæ oriuntur ex coniunctione cauſarum, quæ ſimplices efficiunt, imo & interdum ex vna ſola, ſi non primario & per ſe, ſaltem ſecundario & per conſequentiam. Calefacientia etenim, vna cum calore, reſolutione humidi, ſiccitatem producunt: frigus vero, aut reſolutionem humidi impediendo, aut cruditates multiplicando, ſibi comitem accerſit ſæpe numero humiditatem. Quæ materiales ſunt, cauſam agnoſcunt, alicuius humoris congeſtionem, aut fluxionem, ſed hanc præcipue: ideo vocantur à Gal. ῥευμάτων ἔγγονα νοσήματα, morbi ex fluxione geniti, cap 6. de morb. cauſis. Humores autem qui fluunt, ſunt quatuor illi, quorum antea fræquens facta eſt mentio: inter quos, aptiores ſunt ad fluxionem, qui tenuiores ſunt. Incitatur autem fluxio membri mittentis robore, recipientis debilitate, dolore, caliditate, ſituq; decliui, nec non ductuum & viarum dilatatione, & ipſorum humorum tenuitate. Hæc de cauſis morbi ſimilaris. Nunc organici explicandæ ſunt, & conformationis, qui ad figuræ, cauitatum, ac ductuum, & leuitatis

Digitized by Google

atq; aſperitatis vitia referuntur. Accidit figuræ morbus in vtero, partim à cauſis procatharticis, vt à caſu, percuſsione compreſsione, horrore, timore, cupiditate, & ſimilibus, partim à cauſis antecedentibus, materia vt pote generationi ſubiecta, quantitate, & qualitate actioni formatricis reſiſtente. Extra vterum ſimiliter vitiari poteſt figura, tam cauſis procatharticis, quam antecedentibus; quod ita in ſe perſpicuum eſt, vt nulla prorſus egeat explicatione. Cauſarum quibus læduntur inſtrumentorum cauitates, & ductus, ſex conſtituuntur à Gal. differentiæ cap. 7. de cauſis morb. coalitus, anguſtia, obſtructio, compreſsio, ſubſidentia, & oſculorum apertio, *σύμφυσις στενοχωρία, ἔμφραξις, θλῖψις, συνίζησις, & ἀναστόμωσις*; per *σύμφυσιν*, cauitates coaleſcunt vtrinque e lateribus vlceratæ? quomodo in muliere quadam collum vteri, poſt partum difficilem, coaluiſſe refert Stupanus, per *στενοχωρίαν*, ſeu anguſtiam, anguſtiores euadunt, ob tumorem intus exiſtentem; vt fræquenter accidit in iliaca paſſione, per *ἔμφραξιν*, ab humore, vel alio quouis obſtruente, per *θλῖψιν*, ab extrinſecis comprimuntur: quomodo cernimus deglutionis, & reſpirationis vias comprimi, & an-

guſtiores euadere in angina à dente luxato. συνιζήσει ſubſidunt latera cauitatem continentia ob nimiam ſiccitatem. Per ἀναστόμωσιν deniq; aperiuntur ora venarum, quæ apertio morbus communis eſt, prout ſoluitur continuum, organicus vero, prout meatus, & figura vitiatur. Partium leuitas non naturalis, fit humorum viſcidorum, & lentorum irrigatione: vt videre eſt in lienteria, & cæliaca paſsione, quæ à ventriculi, & inteſtinorum leuitate procedunt. Aſperitas contra fit irrigatione humorum acrium, quibus ineſt corrodendi, aſtringendi, aut corrugandi vis: vt accidere videmus faucibus, laryngi, arteriæ aſperæ, in tuſsi ab humore acri. Cauſæ morborum in numero deficiente 4. ſolent eſſe præcipuæ; nimirum ſectio, qua pars aliqua amputatur, ſiue fortuito fiat, ſiue de induſtria: vſtio quæ fit ab igne, candente ferro, aqua feruente, & ſimilibus. Putrefactio quæ partim medicamentis, partim prauis humoribus, membris νέκρωσιν infert, eademq; deſidere facit, & inſignis refrigeratio, quæ extinctione caloris natiui, partes extremas præſertim, in ſphacelum præcipitat; vnde ſequitur earundem mors, & à toto ſeparatio. Qui vero morbi in numero aucto conſi-

ſtunt; ſi ſint ex eorum genere, quæ ſunt ſecundum naturam; vt ſextus digitus, tertius teſtis, vtilis materiæ copiã, & formatricis robur cauſã habent. Si vero ſint toto genere præter naturam, à materia praua procedunt. Aucta magnitudo, ſi coniuncta ſit cum laudabili conformatione; & ex materiæ vtilis copia, vt & ex robore formatricis oritur: ſin contra vitiata ſit conformatio, ex materiæ redundantia ſolum. Imminuta magnitudo contrarias agnoſcit cauſas. Morbi in ſitu vt antea audiuiſtis, vel contingunt quando membra extra ſuum locum conſiſtunt, vel quando in ſuo loco conſiſtentia, non recte cum vicinis partibus copulantur. E proprio, & conuenienti dimouentur loco; primum per luxationes, quę fiunt vehementi articulorum motu, eorumdemque ob nimiam humiditatem, laxatis ligamentis, nec non fractis cotylarum labiis. Secundo per hernias, rupta ſcilicet, aut dilatata productione peritonæi, per quam feruntur vaſa ſpermatica; & deniq; per vulnera; vulnerato ſcilicet quouis membro, ad alia continenda comparato: vt ſi vulnerato pectore pulmo excidat, aut peritonæo inteſtina. Quod membra cum vicinis non legitime iungantur, in cauſa eſt liga-

ligamentorũ vel nimia tenſio, vel nimia dilatatio, vel eiuſdem ruptio, vel ipſarum partium ineptus coalitus, qui non ſolum in vtero formationis tempore ſed etiã extra vterum in partibus vlceratis, & negligenter curatis accidit. De quibus omnibus videndus eſt Gal. lib. de morb. cauſ. & differ. Continui deniq; ſolutionem efficiunt non ſolũ cauſæ euidentes, motus videlicet immoderatior, & quæcumq; contundendi, vulnerandi, perforandi, vrendi, aut quid ſimile agendi vim obtinent verum etiam internæ, vt humores pungentes, excedentes, flatus membra diſtendentes, & id genus reliqua. Atq; hactenus de cauſis morborum, nunc de eorundem ſymptom. dicendum.

CAPVT X.

QVID ET QVOTVPLEX *ſit Symptoma.*

DOcet Gal. lib. de ſympt. differ. cap. 1. duplicem eſſe ſymptomatis ſignificationem, vnam particularem, pro conſtitutione corporis præter naturam, à morbo procedente; alteram generalem, pro eo omni

omni quod nobis præter naturam accidit; ſiue ſit morbus, ſiue cauſa morbi, ſiue eiuſdem conſectarium. Poteſt & his addi tertia, & generalior acceptio, quæ ſanorum accidentia comprehendit, qualia ſunt niger color Aethiopum, albus Germanorum, & ſimilia, quæ ſymptom. eſſe ſecundum naturam ſcribit Gal. lib. de opt. ſect. magis tamen proprie accidentia quam ſympt. dicenda ſunt: cum ſympt. ſi proprie loquamur ægrotum tantum ſit, & in anguſto vocis ſignificatu morborum ſoboles, vocaturq; à Græcis ἐπιγέννημα, quod morbo ſuccedit, & qua tale eſt, neq; mediate vt cauſa, neq; immediate vt morbus actionem lædit. Dixi qua tale, quia vnum & idem diuerſo reſpectu, poteſt eſſe ſymptoma, & cauſa morbi, v. g. ſanguinis menſtrui retentio, vel quæuis alia conſuetæ euacuationis ſuppreſſio, à morbo quouis procedens ſymptoma eſt reſpectu illius morbi, à quo promanat: at ratione καχεξίας, hydropis, aut frigidæ quam introducit caloris natiui ſuffocatione, hepatis intemperiei, cauſa morbi cenſetur, & actionis læſæ. Differt etiam à morbo, quod non neceſſario ſit ex genere permanentium; dantur ſiquidem ſymptomata & in fieri, vt actiones læſæ, & in facto

cto vt mutatæ qualitates: & in hoc quoque diſtinguitur, à pathemate, quod omnino in motu conſiſtit. Præterea pathema nonnunquam ſecundum naturam accidit; at ſymptoma ſemper præter naturam exiſtit. Definitur enim affectus præter naturam qui morbum velut cauſam effectricem ſequitur: in qua definitione duo ſunt notanda, vnum eſt, affectum hic ſumi latè, pro quauis diſpoſitione, ſiue ſit in facto, ſiue in fieri; alterum eſt, ſymptomata omnia ſequi morbum, vel mediate, vel immediate: morbum ſequuntur immediatè actiones læſæ, mediatè vero reliqua omnia, quæ cauſa eſt, quod morbus per actionem læſam definiatur. Notate hic diligenter diſcrimen inter ſymptomata, & naturæ opera, ſimul & externos errores, quæ non vt ſymptomata ex diſpoſitionibus præter naturam in corpore exiſtentibus oriuntur, ſed ex aliis cauſis, quæ in affectuum præter naturam numero connumerari nequeunt: exempli cauſa excretio immoderatior per aluum, hæmorroidas, vterum, vel vias vrinarias ob materiæ quantitatem, qualitatem, aut ſubſtantiam, ſymptomatica cenſenda non eſt; quippe ſudor, vt ait Gal. aliquando multo amplior, quam pro naturę mo-

do,

do, vel alui deiectio, vel vrina ægrotantibus accidit, nõ ſolum nulla actione læſa; ſed etiam cum virtutis robore, & prouidentia de animalis ſalute ſollicita: vt cernere licet in excretionibus criticis, quibus non raro ab ægritudinibus vindicatur corpus humanum, & quæ non ſymptomata, ſed naturæ potius opera nuncupantur. Externi ſimiliter errores, vt bilis porraceæ in ventriculo generatio, ob eſum olerũ, ſympt. dicenda non ſunt: quoniam non pendent a morbo, ſed ab externo aliquo errore. Quod ſi Gal. alicubi, vt lib. de optima ſect. ad Thraſibulum cap. 19. dicat ex ſymptomatis quædam a cauſis, alia a locis, ſeu partibus affectis, & alia e facultate enaſci: reſpicit proculdubio ſymptomata reſpectu curatiuarum indicationum, non autem reſpectu dependentię a morbo; nam quamuis omne ſymptoma, a morbo, tamquam a cauſa proficiſcatur, non tamen omnes illius intentiones, ſeu indicationes, ad morbum pertinent; ſed quædam petendæ ſunt a cauſa, aliæ a parte affecta, & aliæ a facultate. A cauſa petitur genus remedii, a parte affecta, vtendi modus, & a facultate, remedii menſura, & quantitas: v. g. ſit ſymptoma dolor a ſolutione continui procedens,

Digitized by Google

ſymptoma hoc in quacunq; parte corporis ſit, reſpectu cauſæ remedia continuum vnientia expoſcit, quæ tamen pro diuerſa partium ratione diuerſimodè vſurpanda ſunt: aliter enim curanda eſt ſolutio continui in neruo, aliter in vena, & aliter in oſſe, quam in carne: vt extra dubium ſit ad partium diuerſitatem remediorum vſum variari. Quod autem metiri debeamus quantitatem, & menſuram remedii, non ſolum penes magnitudinem cauſæ, ſed etiam penes facultatis robur, ita clarum eſt, vt neminem, vel mediocriter in arte verſatum lateat: Si quis obiiciat Therapiam non deberi ſymptomati? Reſp. dupliciter: primò veram curationem competere ſymptomati ſecundariò, quatenus ſcilicet ſublato morbo tollitur, deinde ſedatiuam, vt ſic loquar, cui nonnunquam ob ſymptomatum vehementiã, viriumq; imbecillitatem, neglecto morbo, ordine præpoſtero incumbere cogimur, propriè eſſe ſymptomatis, in qua non minus quam in legitima curatione, tria dicta attendẽda ſunt, nimirum cauſa, pars affecta, & facultas. Symptomatis tria conſtituuntur à Gal. ſumma genera, actionum læſiones, mutatæ qualitates, & quæ ex vtriſque conſequuntur excrementorum im-

modicæ

modicæ retentiones, vel excretiones, quod modo ad effectus corporis, modo ad noxas actionum conſequantur: vt cernere eſt in profluuio ſanguinis, interdum ex læſa actione venarum, retentione prȩſertim, interdum ex immodico totius corporis calore promanante. Quoniam ergo ſymptomata hȩc tertii generis, vel ab actione læſa, vel a mutata qualitate dependent, conſiſtuntque mutatæ qualitates in facto, & actiones læſæ in fieri, non incongruȩ Gal. 1. Meth. habita præſertim ratione, permanentiæ, & motus, ſymptomata omnia ad actionem læſam, & immutatam qualitatem reducit, a quibus, vt iam dixi, excretorum, & retentorum ſymptomata procedunt, quȩ in contentis humoribus potiſsimum exiſtũt, vt qualitates in ipſis partibus, & in partium functionibus actionum læſiones, quæ trifariam contingunt; vel enim actiones abolentur, vel imminuũtur, vel deprauantur, ſiue animales fuerint, & a libero noſtro arbitrio pendentes, ſiue naturales. Ad animales pertinent quinq; ſenſus externi, motus voluntarius, & tres illȩ operationes principes, imaginatio, intellectio, & memoria. Ad naturales referuntur, nutritio, accretio, & generatio, & quæ iis famulantur,

tur, attractio, retentio, concoctio, & expulſio; quarum quælibet bifariam læditur, quoniam aut non fit, aut male, & male rurſum, aut deprauate, aut imminute: exemplum actionis abolitæ in viſu eſt cœcitas, imminutæ viſionis hebetatio, & deprauatę eiuſdem error, ſeu hallucinatio, qualis Ictericis accidere ſolet, quibus omnia flaua apparent; his in auditu reſpondēt ſurditas, grauis auditio, & tinnitus. In tactu, guſtu, & olfactu, etſi propria nomina non obtineant, his ſimilia reperiuntur detrimenta, quemadmodum & in actionibus motricibus, & rectricibus. Tactus autem iuxta Gal. præter reliquos ſenſus inſigne poſſidet ſymptoma dolorem nimirum, qui inter ſymptomata actionis deprauatæ cenſetur, iureque quodam peculiari ad ſenſum tactus pertinet. Sed dices per dolorem obiectum percipi tale, quale eſt, dolorificum vt pote, & moleſtum, & per conſequens eum non eſſe ex numero actionum deprauatarum. Ad hoc reſp. actionem deprauatam variis modis accipi; interdum pro corrupta, qua propoſitum obiectum in alienam qualitatem tranſmutatur, vt quando ventriculus conuertit alimenta in ſuccos nidoroſos, aut bilem porraceam; interdum pro ea, qua

non

non percipitur obiectum tale, quale eſt: vt in phrenitide, mania, melancholia, & aliis delirii generibus; interdum pro actione ſupra modum aucta, aut pro ea, qua obiectum non agit in organum ſenſus, eo quo debet modo, ſed pro actione perfectiua (violata quæ ſeruari debet proportione inter agens, & patiens) deſtructiuam producit, vt in dolore. At, dices, ſi actio aucta deprauata ſit, imminuta quoq; erit deprauata? Reſp quod falſa ſit conſequentia, quia actio aucta non procedit a facultate robuſta, vt imminuta a debili, ſed ab obiecto vehemẽter facultatẽ irritãte, alioquin vires & potẽtię na͠rales cauſæ eſſent ſymptomatum.

Qualitatum immutatarum, aliæ ad viſum, vt colores omnes vitioſi, aliæ ad olfactum, vt odores fœtidi, & graueolentes, alię ad guſtum, vt ſapores præter naturam; cuiuſmodi eſt oris amaritudo in febricitantibus, aliæ ad tactum, vt nimia mollities, durities, rugoſitas, ariditas cutis, & reliquarum partium, aliæ denique iuxta nonnullos ad auditum pertinent, vt tinnitus auriũ, ſtridor dentiũ, ventris rugitus, voces raucę, clãgoſę, & ſimilia. Verũ quidẽ ſi rem hanc tenuiori pertractemus lima, reperiemus audibilia hæc ſymptomata, ex qualitatum im-

mutatarum ſenſu non eſſe: affectus enim proprie non ſunt, cum eſſentiam habeant in fieri, nec à Gal. inter affectuum differentias enumerantur, in principio cap. 6. Libell. huic rei dicati; vbi conceptis verbis quatuor conſtituit affectuum differentias, viſibiles, olfactiles guſtatiles, & tactiles, quibus ſub finem eiuſdem cap. quintam adiicit quæ eſt τῶν ἀκουστῶν: non quod reuera affectus ſint, ſed quia vt reliqua ſenſibilia, ſenſum immutant, atq; hac ratione inter qualitates recenſentur: vno verbo qualitates ſenſiles dici poſſunt, quæ percipiuntur ab auditu, idq; tamquam obiectum proprium, affectus non ſunt, quia non habent permanentiam; ad quod ergo genus ſymptomatum referuntur? Reſp. ad functionum læſiones, vel excretorum vitia. Voces enim βραγχώδεις, & κλαγγώδεις ad læſas actiones pertinent, ventriculi, & inteſtinorum rugitus, ad ea quæ præter naturam retinentur & excernuntur. Quæ rurſus aut tota ſubſtantia, aut qualitate, aut quantitate, aut excernendi modo naturæ limites excedunt. Subſtantia, ſeu toto genere præter naturam ſunt, vt renum, & veſicæ calculus, lumbrici inteſtinorum, & id genus reliqua. Huc etiam ſpectat rei naturalis, quæ non ex-

cerni, ſed retineri potius debet excretio: v. g. puri, & laudabilis ſanguinis per hæmorroidas. At calculus, inquies, cauſa morbi eſt? Reſp. eſſe cauſam morbi, prout renum meatus obſtruit at ſymptoma eſt, prout ab eorundem intemperie calida generatur. Qualitate peccant, excreta, & retenta, quando non retinent propria, & familiaria accidentia, vt ſi retineantur fæces, propter duritiem, aut flatuum commixtionem, quod colicis accidere videmus, aut ſi excernantur fœtore grauiſſimo, colore prauo, conſiſtentia mala, vel ſimili aliqua qualitate, à naturalibus aliena. Quantitate nimia excernuntur ſanguis immodico menſium aut hæmorroidum fluxu, alui faces in lyenteria, ſudores in febre ſynthectica, ſeu colliquatiua, & reliqua eiuſmodi, quæ præter naturam quoque retineri poſſunt: vt cernere eſt in menſib. vel hæmorroidibus ſuppreſſis, ſi denique excretio non fiat tẽperie ſolito per loca debita, & cum facilitate, vitiatur excernendi modus.

CAP.

CAP. XI.

DE CAVSIS SYMPTOMATVM.

QVamuis certum ſit, ſymptoma omne à morbo, cuius differentiæ antea expoſitæ fuerunt, vel mediatè, vel immediate dependere: tenetur tamen medicus, in hac parte pathologiæ de ſymptomatum cauſis mentionem facere: non vt inani tautologia, morborum differentias rurſum explicet, ſed vt doceat potius, à quo morbo præſertim, pendeat vnumquodque genus ſymptomatum, vel quod eodem redit, vt applicet cauſas ad proprios ſuos effectus, quod egregie præſtat Gal. in lib. huic rei dicatis, in quibus particularis cuiuſque ſymptomatis cauſas interpretatur. Primum illius quod in actionum noxa, deinde illius, quod in excreti, vel retenti errore; & vltimo illius quod in vitio qualitatis conſiſtit. Nos ne quos propoſuimus methodi cancellos tranſgredi videamur; ſumma ſequemur veſtigia rerum, atq; à particulari cuiuſq; expoſitione abſtinentes, ea tantum proponemus, quæ ad vniuerſalem pathol. pertinent; vt ergo hinc exordiamur. Actio omnis læſa immediate

morbum ſequitur, nec vllus eſt morbus, abſq; inſeparabili huiuſce ſympt. comitatu. Verum quidem eſt, quoſdam ad actionem abolendam, vel imminuendam: alios ad eandem deprauandam eſſe aptiores, magiſque idoneos. Abolitæ actionis cauſæ, ad tres fontes reduci ſolent, nimirum ad facultatis, communis, & proprii inſtrumenti vitium: facultatis hic nomine temperiem intelligimus. communis inſtrumenti, facultatis, ſpiritus, aut materiæ alicuius influxum a quouis membro principe: vt & inſtrumenti particularis ipſum organum, cuiuſque functionis authorem: quorum omnium, vitio immoderato preſertim aboleri poteſt actio. Et primùm quod actiones pereant, ob maximas partium intemperies, ita manifeſtum eſt, vt nulla penitus egeat probatione: cum pars quælibet per propriam ſuam temperaturam operetur, & licet omnes grauiores partium diſcraſiæ vim habeant abolendi actionem: propter tamen ipſarum actionum, & intemperierum diuerſitatem, fit vt hæc magis quam illa intemperies, hanc aut illam aboleat actionem: imaginatio v. g. magis a ſiccitate quam ab humiditate, memoria contra magis ab humiditate offenditur. Concoctio ſimili-

ter ob minorem frigoris, quam caloris exceſſum perit: appetitus contra citius à calore, quam à frigore deiicitur, retentio ab humiditate, expulſio à ſiccitate magis eneruatur. Verum quidem eſt dum alteratio ad exceſſum tendit frigoris, actionem vt plurimum imminui, deprauari vero cum ob immoderatam caloris exuperantiam fit mutatio: eſtq; hæc cauſa cur Gal. pronunciet actionem à calore deprauari, à frigore autem imminui aut aboleri, quod non ſemper, ſed fræquenter ſolum contingit, & cum itemperiem ſolam, non alios affectus cauſam agnoſcit. Quod autem actio quælibet, melius ab illa quam hac temperatura perficiatur & lædatur, fusè docet Gal. cap. 10. lib. 3. de Sympt. cauſis. In ſingulis (inquit) particulis animaduertere oportet quantitatem immoderationis, ſicuti v. g. neruos, tendines, muſculos, & ligamenta quanto ſunt ſicciora, tanto etiam valentiora eſſe neceſſum eſt, niſi adeo exceſſerint moderationem, vt propter duritiem vix flexibilia fiant, & propter ſiccitatem veluti friabilia, conuulſionibus enim ita corripiuntur. Contra, naturalia inſtrumenta quo ſunt humidiora, eo ſunt ad nutritionem magis idonea, & in actionibus

bus

Digitized by Google

bus pure naturalibus calor attractioni, & concoctioni humiditas alterationi, & expulſioni & ſiccitas retentioni magis inſeruit: Frigus naturæ opera non ingreditur, & vt ait Galen. nulli actioni vtile eſt, niſi forte per accidens; qua ratione videmus ſuccum melancholicum corrugando ventriculum appetentiam excitare, & eiuſdem condenſatione, & corroboratione iuuare concoctionem. Quod aboleantur actiones ob vitium communis inſtrumenti, patet in paralyſi, ſincope, & atrophia, in quibus ſpiritus, vel materia quæ influere debent ad membrorum actiones perficiendas, aut eorundem facultates conſeruandas, vel diſſoluuntur, vel intercipiuntur; quamuis enim partes pure naturales inſitam habeant facultatem, nec vlla penitus egeant influente ad ſuas functiones obeundas, non tamen poteſt eorum temperies diu incolumis ſubſiſtere, niſi refocilletur caloris viuifici influxu, & reparetur ſanguinis appulſu, quod de ipſarum partium ſubſtantia continuo deperditur, eſtque hæc cauſa quod deutheropaticè affici quidem poſſint, nunquam autem ſympaticè: defectu ſiquidem alimenti, aut eiuſdem in qualitate vitio, ſiue à ventriculi, ſiue ab hepatis procedat

errore ſubuertitur temperatura, abſque cuius detrimento, impoſſibile eſt illarum lædi actionem, quę tota tanta quanta eſt à temperie dependet, ſaltem tanquam à cauſa principali & vniuoca: nam influxum caloris vitalis à corde, omnibus actionibus obeundis, tanquam cauſam vniuerſalem, ſecundariam & ęquiuocam, neceſſariam eſſe non negamus. Aboletur denique actio ab affectibus organi particularis: vt videre eſt in cæcitate, quæ ob oculi vitium accidit ſiue illud primum ſentiendi inſtrumentum afficiat: v. g. humorem criſtallinum, ſiue aliquid illorum quæ primo huic inſtrumento inſeruiunt. Ex dictis duo ſequũtur: Vnum eſt partium quarundam actiones poſſe lædi illæſis aliarum functionibus, quoniam in quibuſdam immutari poſſunt facultas & inſtrumentum, tam commune, quam proprium, nulla facta eorundem mutatione in aliis: vt cernere eſt in paralytico, qui in vno latere priuatur motu & ſenſu, non item in altero: Alterum eſt vnius eiuſdemq; membri quaſdam actiones nonnunquam lædi aliis nullo modo affectis: exempli gratia in cerebro læditur interdum imaginatio illæſo intellectu, vt accidit Theophilo Medico, cuius facta eſt mentio cap. 3. de ſympt.

pt. diff. non procul à calce, & qui cum alioqui prudenter ſe gereret ac interrogaret; & ad interrogata reſponderet, præſenteſq; exacte noſceret, tibicines tamen quoſdam angulum cubiculi in quo decumbebat occupaſſe, & aſſidue tibia canere, atque pulſare putabat. Interdum videmus illęſa imaginatione deprauari intellectum, vt contigit illi phrenetico, qui obſeratis intus ianuis per feneſtras vaſa vitrea protulit ſingula nominans, & prætereuntes interrogans, iuberent ne ea proiicere: huius meminit Gal. loco iam citato, eiuſdemque hiſtoriam pluribus narrat lib 4. de locis affect. cap. 1. hoc non fit ob ſedum quas occupant hæ facultates (eas enim ſedibus diſcluſas eſſe cum Arabibus non arbitramur) ſed temperamentorũ potius quibus gaudẽt diuerſitatem, ob quam etiam ſępe numero videmus vnam, aut plures naturalium actionum affici, abſq; reliquarum læſione, & in vna eademque particula perire ſenſum remanente motu, & vice verſa, quamuis & hoc ad neruorum diuerſitatem, quibus ſentiendi & mouendi facultas fertur non raro referri poſſit: vt manifeſtum eſt in lingua, tribus minoribus digitis, atque in illis in quibus obſtruũtur nerui cutis, nõ ob-

ſtructis

ſtructis muſculorum neruis, hæc obiter. Nunc eo vnde digreſſi ſumus reuertamur. Ab iiſdem cauſis licet remiſſioribus imminuuntur actiones à quibus abolentur, ab iiſdem quoq; deprauantur quoties non diminute, ſed aliter quam opportet eduntur: quæ quidem deprauatio non ſolum à facultatis organi communis, & particularis vitio, ſed etiam ab obiecto irritante & facultatem παρα φύσιν ſtimulante procedere poteſt: vt cernere eſt in conuulſione à materia non proportionata. Excretorum & retentorum vitia, ad actiones læſas conſequi ſolent; immoderata vt pote excretio, ad retentrcis imbecillitatem, & irritationem expultricis ab humoris qualitate, & quantitate facta: retentio contra ad expultricis infirmitatem, & vim retinendi ſupra modum auctam: in cauſa quoque vtriuſque perſæpe eſt inſtrumentorum vitium, materiæ continendæ, vel excernendæ dicatorum; imo & ipſa materia naturæ regimen, & moderationem derelinquens, apertis etenim, & hiantibus vaſorum orificiis, ipſiſque vaſis ruptis, vel eroſis, hæmorragiam contingere videmus per ἀναστομωσιν, ῥῆξιν, & διαβρωσιν, vt & per διαπήδησιν, ſeu tranſcolationem, quando humor ob ſui

ſubti-

ſubtilitatem & tenuitatem in venis contineri non poteſt: videmus ſimiliter conſuetas, & ſolitas euacuationes lædi ob viarum anguſtiam, à quacunque cauſa pendeat, ipſorumque humorum craſſitiem, atque lentorem, nec non & ob eorundem paucitatem; quando ſcilicet, vel parcius generantur ob alimentorum defectum, vel per alias vias euacuantur, vel à calore nimio diſſipantur, vel per occulta totius corporis ſpiracula reſoluuntur. Quod ad ſymptomata tertii generis attinet, quæ in affectibus corporis conſiſtunt, aliquando à ſola actione læſa, aliquando ab hac ſimul, & à vitio excrementi promanant: v.g. durities interdum fit a nimia exſiccatione, vel refrigeratione, quæ ſunt actiones læſæ, interdum ab humore, vel flatu præter naturam retento, & partem diſtẽdente, Gal. cap. 6. de ſympt. diff. illorũ omniũ cauſas ad intemperiem reducere videtur, nec abſque ratione, cum qualitates ſint ſecundæ præter naturam corpori noſtro inſidentes: cumque ea ſit ſecundarum qualitatum natura vt primas inſequantur, & cap. 12 lib. 3. de ſympt. cauſ. relictis aliis, de coloribus, & viſibilibus tantum qualitatibus agit, quas ſummatim vult a triplici cauſa immutari. Primo

quando

quando humores a naturali ſua aberrant ſpecie; vt ſi bilis flaua in vitellinam, porraceam, æruginoſam, aut glaſteã tranſmutetur. Deinde quando humores in profundum ſubeunt; Sic in animi deliquio vniuerſum corpus palleſcit, ſanguine ad centrum cum ſpiritibus recurrente. Denique quando cutem veluti alluentes iidem proprium ſuum impertiunt colorem, vt in vitiligine. Cauſæ vero particulares quę humores ad huiuſmodi motus & effectus impellũt, ſunt animi perturbationes, aeris nos ambientis in calorem, & frigus permutationes, & ipſius corporis quòd vel calidiorem, vel frigidiorem, vel parciorem, vel vberiorem, vel foras protuſum, vel intro retractum ſanguinem obtinet: affectus huius quoq; generis, eſt vt iam diximus, omnis vitioſus ſuccus, qui ſua ſpecie vniuerſi corporis colorem alterat, vt in ictero, hydrope, elephantiaſi, & lienis, ieccoriſq; imbecillitatibus.

CA-

CAP. XII.

DE DOLORE.

QVoniam inter oĩa ſymptomata nullũ eſt quod magis medico, & ægrotanti negotium faceſcat quam dolor, ſolent omnes fere authores ſpeciatim de illius natura, & cauſis ſermonem inſtituere; a quorum veſtigiis ne vel latum vnguem recedens, perfectã huius ſympt. definitionẽ quæ omnib; quæ de eo moueri ſolent difficultatibus plenè ſatisfaciat inueſtigare decreui, ſumpto a multiplici nominis ſignifiatione exordio, quod apud authores quadrifariam vſurpatur. Primum latiſſimè, prout non ſolum corporis, ſed etiam animi moleſtiam, quam mœrorem appellamus complectitur. Deinde paulo ſtrictius pro qualibet triſti ſenſatione, ſiue ad tactum, ſiue ad alium quemlibet reliquorũ ſenſum pertineat. Tertio pro affectu dolorifico: vnde illud Hipp. 6. Epid. ſect. 1. text. 8. in Cranone veteres dolores frigidi, recentes calidi. Denique maxime propriè, pro triſti & moleſta ſenſatione in organo tactus, qui in craſſiore, & compactiore materia poſitus eſt,

quam reliqui ſenſus: eſtq; hæc cauſa cur quæ in eum fiunt impreſſiones, vehementiores ſint, & a potẽtioribus procedãt cauſis; vnde maior in illo, quam in reliquis ſenſibus, doloris & voluptatis perceptio: & de dolore in poſtrema hac ſignificatione præſens inſtituta eſt diſputatio; cuius cauſam formalem, materialem, & efficientem paucis rimabimur: nam finalem non agnoſcunt Medici. Si illius formam ſpectemus, ex numero eſt actionum deprauatarum, vt demonſtratum fuit cap. 10. huius libri: materia autem ſeu ſubiectum, eſt pars quælibet tangendi vi prędita; vt enim aliquid doleat, duo habeat neceſſe eſt, vnum vt poſſit alterari, alterum vt alterationis ſuæ ſenſum habeat, vt eleganter docet Gal. explicans illud Hipp. quod habetur in lib. de nat. hum. Si homo eſſet vnum non doleret; porro alterationes ſi leues ſint, ac paruæ, atq; paulatim, ſenſimq; fiant, neque dolorem, neque voluptatem procreant: ſi vero ſint vehementiores, fiantq; confertim, oritur neceſſario voluptas vel dolor: Hic ſi a ſtatu naturali ad non naturalem, illa contra ſi a non naturali ad naturalem procedat alteratio. Hoc egregiè exprimit Plato in Timæo, Hipp. in lib. de locis in

homi-

homine, & poſt illos Gal. cap. 6. lib. 1. de cauſis ſymptom. cuius verba in medium afferre lubet. Delectatione igitur inquit, & dolore omnes ſenſus afficiuntur, non tamen æquè euidenter, ſed in ſenſu quidem viſus minimùm, in tactu vero & guſtu maximè, ab iis deinceps in olfactu, & poſt hos in auditu; quænam igitur communis omnium cauſa, & ſingulorum propria? communis quidem eſt, quam Plato in tymęo ita ſcribens affert; quod præter naturam, ac violentum eſt, ſi confertim in nobis fit, dolorificum nobis pathos excitat; quod vero ad naturam ſuam rurſus confertim redit iucundum eſt; quod autem ſenſim & paulatim fit, ſenſu haud percipitur. Cōtra hanc doctrinam experientia demonſtrat Gal. 12. Meth. cap. 7. dolorem non ſolum fieri receſſu a ſtatu naturali: verum etiam ex vehementiori reditu ad eundem. Si quis, inquit, manus vehemēter refrigeratas ſubitò ex calefecerit, ingentem dolorem circa radices vnguium ſentiet. Verum ſi rem ex actius perpendamus, dolorem hunc non ex reditu ad ſtatum naturalem prouenire reperiemus: Sed ex contractione potius & vnione frigoris contracti circa partes internas, quæ nerueæ ſunt,

& exquiſitioris ſenſus facta per antiperiſtaſim, & vehementioris caloris actionem; quæ corruptiua potius eſt, quam perfectiua: diſtruit ſiquidem & corrumpit qui ſupereſt naturalem partis calorem: eſtq; hæc cauſa quod manus calidæ igni appoſitæ non ita doleant, quam pars vehementer refrigerata, quæ potentioris caloris actione in gangrenam incidit. Præterea non quilibet reditus ad ſtatum naturalem voluptatis cauſa cenſetur: ſed ille ſolum qui fit per ea quæ ſunt nobis amica & familiaria; non autem contraria, & naturę noſtrę aduerſantia. Debet etenim reductio fieri per ea quæ affectui morboſo, non autem noſtræ naturæ aduerſantur: verum vt propius ad doloris cauſas accedamus, ipſaſq; detegamus effectrices, conſideranda ſunt ea omnia quæ ad dolorem efficiendum concurrunt: ſunt autem 4. in vniuerſum: nimirum alterãs, illud quod alteratur, ipſãmet alteratio, & ſenſus alterationis. Senſus alterationis, cum in eo cõſiſtat natura, & eſſentia doloris, eiuſdẽ cauſa efficiens eſſe nõ poteſt, vt nec illud quod alteratione ſubit; hoc enim illius ſubiectũ eſſe, antea demonſtrauimus: relinquitur ergo vt cauſa efficiens huius ſymptomatis, Sit, vel

ipſa alteratio; vel id quod alterat, & certè vtrumq; eſſe poteſt, licet diſparitatione: nam alteratio primò, & immediatè; alterans verò, interuentu alterationis hunc affectum procreat. Per alterationem hic intelligo mutationem quamlibet in membro ſenſus capaci factam, atq; ad eiuſdem corruptionem tendentem: vnde Gal. cap. 4. lib. de inæquali intemp. his quibus alteratur, & corrumpitur natura, dolores fiunt. Alteratur autẽ, & corrũpitur natura cuiuſq; cũ vel calefit, vel frigefit, vel ſiccatur, vel humectatur, vel vnitas eius ſoluitur, quibus verbis ex diametro pugnare videtur c. 6. lib. 1. de cauſis ſympt. vbi ore rotundo negat dolorẽ fieri à qualitatibus paſſiuis, explicans enim dictũ illud Hip. his quib. natura mutatur, ac corrumpitur, dolores excitantur, ſic ait. hac voce corrumpitur, & celeritatẽ, & vehemẽtiam mutationis indicat. Porro magnæ in tactu à natura veniunt mutationes, à frigidi, calidique violento occurſu. Præterea ab iis quæ contundere, ſecare, diſtendere, aut erodere ſolent; nam humidum, & ſiccum, ſine calore, & frigore occurſum violentia carentem obtinent, quia ſunt tardioris actiuitatis, atque ad patiendum, quam ad agendum aptiores, magiſque

Digitized by Google

que idoneæ hæ qualitates ſi nudæ exiſtant. Dixi ſi nudæ exiſtant, quoniam ſi cum materiæ affluxu partem aliquam obſeſſerint, poſſunt per accidens dolorem excitare, implendo ſcilicet, diſtendendo, erodendo, & inflammando. Et in hoc caſu exiſtimat Gal. loco cit. de inæquali intemperie, ſiccitatem, & humid. cauſas eſſe doloris, & lib. 2. de victus ratione in acut. cōment. 1. vult eaſdem qualitates confertim agere, his verbis. Alterantur autem confertim ab efficientibus qualitatibus, cum & caleſiunt, & refrigerantur, & ſiccantur, & humectantur. Non ergo eodem modo dolores pariunt qualitates paſſiuæ quo actiuæ: hæ ſiquidem per ſe violenter, & confertim alterant: illæ vt iam dictum eſt, ſenſim & pedetentim, niſi fortè per accidens, & propter humoris alicuius concomitantiam. Oppones ſiccitatem nudam confertim, & violenter agere: nam lib. 2 de comp. med. κατὰ τόπους cap. 1. mediocres dolores ex ſiccitate proueniunt, humiditatē autē nullus dolor comitatur. Reſ. Gal. eo loci inſtituere comparationem inter ſiccitatem & humiditatem, ratione actiuitatis, quę maior eſt in ſiccitate, quam in humiditate: & propterea ſiccitas, ſi intenſa admo-
dum

dum ſit, partemque tendat, moleſtiam quandam, ſeu leuiorem dolorem facere poteſt, non quidem per ſe, ſed ratione tenſionis, quam ſequitur ſolutio continui. Argent. 14. cap. lib. de cauſis ſympt. dolorem, neque ab alteratione neque ab vnitatis ſolutione, ſed ab alterantibus, & continuum ſoluentibus ſolum excitari, hoc argumento euincere conatur. Illa tantum dolorem pariunt, quæ à ſenſibus percipiuntur: at neque ſentitur alteratio, neque ſolutio continui, cum neque ad obiectum proprium alicuius ſenſus, neque ad commune referri poſſit: ſed pace illius dixerim, à veritate deflectit; nam quod alteratio quælibet ſaltem inter ſenſibiles qualitates, in obiectorum propriorũ numero contineatur, ex eo patet, quod nihil aliud ſit, quam ipſa qualitas ſenſilis in fieri, ad quam tendit alteratio, & quæ proculdubio ſenſu percipitur. Quis quæſo non ſentiat ſe calefieri, refrigerari, humectari, & exſiccari, licet non tam ratione illius quod fit, aut graduum introducendorum, quã introductorum. Quod ad continui ſolutionem attinet, illa manifeſtè ad obiectum commune refertur, tum ratione motus violenti, tum immutati partium ſitus; imo & ad ipſum

pro-

Digitized by Google

proprium; ratione duritiei, aſperitatis, & reliquarum ſecundarum qualitatum; quibus ſæpe numero ſoluitur continuum. His ita conſtitutis facile eſt reſpondere Auerroi 3. collig. capit. 31. aſſerenti dolorem non fieri à ſolutione continui, abſque intemperiei interuentu: ſimul, & ad illorum argumenta, qui arbitrantur intemperiem non poſſe abſque ſolutione vnitatis hoc ſymptoma producere. Vtraque hæc aſſertio falſa eſt, & non ſolum doctrinæ Hipp. & Gal. ſed etiam experientiæ repugnans; videmus enim dolorem interdum à nuda ſolutione continui, vt dum pars aliqua acu pungitur, aut cultro ſcinditur, interdum à nuda intemperie, vt in dolentibus ob vehementiorem calefactionem, aut refrigerationem. Sed dices dolor, aut ſequitur intemperiem factam, vel fientem, non hanc, quia morbus non eſt, non illam, quoniam docente Gal. loco antea citato de inæquali intemperie, non cum iam mutatum eſt temperamentum, ſed dum mutatur particulæ dolent. Ad hoc reſp. idque ex ſent. Gal. eodem loci, intemperiem quæ cauſa eſt doloris, inæqualem eſſe, & partim eſſe in fieri, partim in facto, & ob id habere morbi rationem, ſaltem ratione facti. Idem

de

de ſolutione continui cenſendum eſt, quæ hic alterationis nomine comprehenditur, vt antea docuimus. Ex dictis igitur licet definire dolorem triſtem ſenſationem ab aliquo organum tactus alterante, & corrumpente factam. Senſationis nomine hic nō ſolum ſpeciei receptionem in organum, ſeu quod idem eſt organi alterationem, ſed eiuſdem quoque perceptionem intelligimus, nam quibus mens laborat, etſi alterentur non dolent, quia alterationem non percipiunt. Hæc communis eſt de dolore Medicorum doctrina, ad incudem curſus reddenda, & tenuiori pertractanda lima, vt difficultatibus quæ ex dictis diſlui nequeunt fiat ſatis. Et in primis ipſæ difficultates proponendæ ſunt, quæ numero ſunt potiſſimū tres. Prima, dolor non videtur ſenſus deprauatus, quia per illum obiectum percipitur tale quale eſt, vt pote dolorificum. Secunda dolor non ſentitur, ſaltem ab organo tactus: quoniam nullus ſenſus propriam ſuam percipit ſenſationem: proprium ſiquidem eſt ſenſus communis externorum ſenſuum operationes cognoſcere, eaſdemque inter ſe conferre. Tertia duplex aſſignatur ab Authoribus doloris cauſa, ſolutio continui ſcilicet, & intem-

peries; quod principiis logicæ repugnat, vnius effectus vnam cauſam primam, & immediatam poſtulantibus. Nec placet quæ vulgo circumfertur ad primam difficultatem reſponſio: obiectum in dolore percipi quidem tale quale eſt, ſed non eodem modo quo percipi debet; nimirum cũ euphoria, & citra moleſtiam; nam obiectum dolorificum, ſi citra dolorem ſentiatur, mentem ægrotare demonſtrat, neq; eo modo percipitur quo percipi debet. Nec etiam admittendum eſt, quod ad 2 dub. explicationem afferunt Authores: nimirum non ipſum dolorem; ſed eiuſdem cauſas ſub ſẽſum cadere; hoc enim ſenſui communi repugnat, quo videmus dolentes citra ſolutionis continui, & intemperiei ſenſum dolore torqueri acerbiſſimo; cuius cauſas ægrè rimantur, vel periti medici; præſertim dum dolor abſconditus eſt, & in partibus internis latitans. Nec denique ſatisfacit tertię diff. explicatio, qua volunt plerique vnum, eundemque effectum a pluribus cauſis immediatis procedere, quia vt dixi fundamentis contrariatur artis analyticę, niſi de cauſis partialibus intelligatur, cuiuſmodi non ſunt ſolutio continui, & intemperies ratione doloris: cum vnaquęque harum dolo-

lorem ſeparatum efficere poſſit (idq; ex vnanimi omnium conſenſu:) Vt ergo dictis obiectionibus plenius ſatisfaciamus; ſtatuendum eſt dolorem non eſſe ipſammet ſenſationem, ſed eiuſdem potius conſectarium, pathos ſcilicet ſeu paſſionem quæ ad ſenſus operationem conſequitur. Hoc probat, quæ ſingulis ſenſibus accidit moleſtia, & quæ eidem aduerſatur, eaſdem partes licet contraria ratione, occupans voluptas, quippe neutra harum paſſionum ſenſatio propriè dici poteſt, cum vnus idemque ſapor vni moleſtiam, alteri voluptatem impertiat; imo qui hodie placet, cras fortaſſis idem diſplicebit, licet ſemper ſub eadem ſenſationis ſpecie percipiatur. Idem de reliquorum ſenſuum ſenſatione dicendum eſt: ac ob id credendum dolorem, qui nihil aliud eſt quam inſignior in ſenſu tactus moleſtia, non eſſe ipſam ſenſationem, ſed paſſionem potius ex ſenſatione promanantem. Quid enim vetat, tam benè ſenſuum operationes, quam animi conceptus ſua habere pathemata, & ſenſum tactus tam benè quam animum, ſeu intellectum obiecti nocentis perceptione dolere, & gaudere perceptione grati. Vnde duo Colligo. Vnum eſt dolorem, & voluptatem

quæ ex ſenſibus oriuntur, ab ipſorum ſenſuum operationibus diſtingui: quia voluptas, & moleſtia, quæ mentis conſequuntur actiones, & in vniuerſum omnia animi pathemata, à cognitione intellectus ex qua dependent diſtinguuntur. Alterum eſt dolorem, & voluptatem externorum ſenſuum, ab ipſis ſenſibus externis percipi, vt & animi pathemata ab intellectu, cuius operatione producuntur: & ob id, vt animi pathemata vehementiora iudicium intellectus peruertunt, iuxta illud.

Impedit ira animum nè poſsit cernere verum:

Sic quæ ſenſuum operationem ſequuntur paſſionum vehementia, doloris præſertim ſenſus ita percellit, vt in propriis ſuis obiectis diiudicandis hallucinentur. Deprauatur ergo reuera in dolore tactus actio, nec percipitur obiectum tale quale eſt: nam quod appoſitum eſt parti ſanæ, ſine moleſtia percipitur, ſi cauſis dolorificis apponatur, affecte cũ dolore perſentitur, ſiue intrīſecus, ſiue extrinſecus occurrat: nam ſanguis omnium humorum mitiſſimus, ſi in particulam irruat, alteratione, vel ſolutione continui corruptam, dolorem parit.

Si quis obiiciat dolores aquę tepidæ, lactis, & ſimilium affuſione mitigari. Reſp. iis remediis

diis

Digitized by Google

diis leniri dolores, tenſionem, calorem, vel humoris acrimoniam cauſam agnoſcentes; idq; relaxatione, & reſeratione porororum qua humores congeſti facilius euacuantur, ac proinde minuitur tenſio repreſſione motus caloris, & acrimoniç materię fluentis, quę dolorem auget, & refocillatione caloris natiui, & hoc modo non conſiderantur tamquã obiecta ſenſus organum immutantia (nam hac ratione procul dubio non percipiuntur talia, qualia ſunt) ſed prout ſunt remedia παρηγορικὰ idest ἀνώδυνα, & dolorem ſedantia. Verum vt rem in pauca contrahamus, dicimus dolorem eſſe formaliter paſſionem, & ad tertiam ſpeciem qualitatis, vt erubeſcentiam ex pudore, & ex timore palliditatem pertinere, ac propterea ſentiri, & immutationem tactus ab obiecto improportionato factam, cauſam agnoſcere immediatam, vt recte definiatur dolor. Paſſio tactus ab obiecto improportionato eundem immutante. Gal. enim, & reliqui Medici, dum eandem per ſenſationem triſtem, & actionem tactus deprauatam definiunt, vt Medici ſenſibiles eiuſdem reſpiciunt cauſam effectricem Morales Phyloſophos imitati, definientes Iram accenſionem ſanguinis circa cor, cum

tamen

tamen formaliter ſit appetitus vendictę, a ſanguinis accenſione proficiſcens, & quamuis paſſiones iſtæ ad tertiæ qualitatis ſpeciem reuera referendæ ſint: Medici tamen quoniam permanentiam nullam habent, eaſdem ad actionum, & paſſionum prædicamenta reducunt, & iure, cum nihil aliud ſint quam actionum, paſſionumque modificationes; vt ergo paſſiones animi vehementiores, cœteras eiuſdem corporis operationes, ſic dolor tactus operationem peruertit, & vt ſpeculum colore tinctum rectè quidem à viſu percipitur, cœtera autem cuncta, colorem ſpeculi repreſentant: ſic dolor inhærens parti, ab eadem licet cum moleſtia, rectè quidem ſentitur, reliquis non niſi deprauatè ſenſum immutātibus: hoc idem ictericis accidit omnia flaua cernentibus, propter colorem flauum inhærentem oculo: hoc tamen diſcrimine, quod color flauus oculis inhærens ab iiſdem nō videatur: quia viſus non fit per medium internum, vt tactus, & guſtus, ſed per externum: in vtriſque tamen intus apparens prohibet alienum.

Si quis inſtet dolorem eſſe morbum, quia lædit actionem immediatè, Reſpondeo non ſequi, quia quidquid lædit actionem im-

me-

mediatè morbus non eſt neceſſariò, ſed illud ſolum quod habet permanentiam: præterea vna actio læſa, alteram lædere poteſt, quod exemplo breuioris complexus cibi in ventriculo demonſtat Gal. cap. 4. de ſympt. diff. fit enim is primum, vt ait, ab intemperie, quam ſequitur imperfecta concoctio, vt & hanc celer ciborum exitus: ex quo videmus, à læſa ventriculi retentione, eiuſdem loci concoctionem, & ab hac expulſionem eiuſdem, & inteſtinorum vitiari. Ad hæc idem Gal. c. 7. eiuſdem lib. 1. docet omnem quidem ſympt. naturam morbos neceſſario præcedere, contingere tamen ſæpe vt ſit veluti ſeries quædam ſymptom. ſibi inuicem ſuccedentium, ea tamen lege, vt a morbo quidem primum, a primo ſecundum, a ſecundo tertium, & a tertio quartum procedat: vt apparet in allato exemplo, ſic etiam chiloſis vitiata a morbo ventriculi, lædit hæmatoſim: hæc rurſus diſtributionem: diſtributio appoſitionem; & appoſitio aſſimilationem: quoniam præcedentis vitium ſequens concoctio emendare non poteſt.

His ita conſtitutis, ad propoſitas difficultates reſpondens. Ad primā dico omnia obiecta tangibilia, præter ipſum dolorem, in dolore

lorem

deprauatę ſentiri; imo & ipſum dolorem, quatenus ſentitur cum moleſtia, nam ſenſus naturalis citra moleſtiam fieri debet.

Ad ſecundam iam reſponſum eſt ipſum dolorem ſentiri, & non ſolum a ſenſu communi, verum etiam ab ipſo tactu percipi.

Ad tertiam quoque patet ſolutio. Solutio quidem continui, & intemperies non ſunt cauſæ immediatæ doloris, ſed obiectum tactus improportionatum, ſub cuius ratione, tam intemperies, quam ſolutio continui dolorem parit.

Et hæc de differentiis, & cauſis ſymptomatum.

CAP. XIII.

DE FEBRIVM DIFFERENTIIS

VT inter ſymptomata dolor; ita inter morbos frequentiſsimè auxiliares ex poſcit Medicorum manus febris, nec minoris de hac, quam de illo difficultatis agitantur in Scholis controuerſiæ, vt ab inſtituto noſtro alienum non ſit, huius naturam definitione, & differentiarum explicatione inter-

pre-

pretari. Vt ergo hinc exordiar, quam latini febrem à feruendo, greci πυρετὸν ἀπὸ τοῦ πυρός, ideſt morbum igneum, ab igne appellant; imo πῦρ, ſeu ignem, eam ſaltem quæ vehemens valde, & ardens eſt, vt cernere licet 1. epid. ſect. 3. hiſt. 2. de Sileno 4. de vxore Philini 6. de Cleanactide, & 7. de Metone de quibus omnibus in febrem incidentibus hanc profert ſententiam πῦρ ἔλαβε. Gal. 3. 1. de diff. febr. quatuor conſtituit ſimplices intemperies, calidam, frigidam, humidam, & ſiccam, quaſi primas, & ſimpliciſſimas morbi ſimilaris ſpecies, contenditque febrem ſub vna illarum neceſſariò contineri; imo eam definit calorem præter naturam in corde accenſum, & lib. 8. meth. cap. 1. vult immoderationem intemperaturę febrium in caloris multitudine conſiſtere: adhuc rē hanc multò clarius explicat comment. 1. in 6. epid. vbi docet febris eſſentiam, non ex Hipp. & optimorum Medicorum ſententia tantum, ſed communi omnium iudicio, eſſe calorem præter naturam, maximè quidem eum, qui ex corde in vniuerſum animal effunditur, aut certè qui in pluribus, & maxime principalibus partibus conſiſtit, vt clarum & illuſtre ſit febrem eſſe calorem præter

naturam, qui à corde in vniuerſum corpus extendi poteſt; imo ſemper extenditur, niſi aliquid impediat, vt in principiis paroxiſmorum, & in lipyria in quibus ob materiæ craſſitiem, & frigiditatem externum corporis habitum obſtruētis impeditur caloris diffuſio, & quamuis ſub ratione lipyriæ effundi non poſſit, poteſt tamē diffundi ob ratione febris; quemaddum cœcus videre poteſt ſub ratione hominis, licet non ſub ratione cœci. Ex his, patet naturam, & eſſentiam febris, in ſimplici intemperie, calida ſcilicet eſſe poſitam, ſed quia calor hic humidi diſſipatione, ſi diu perſeueret, comitem ſibi adſciſcit ſiccitatem, & quia humectantia caloris actionem maximè retundūt in illius curatione, refrigerantia & humectantia præſcribi ſolent, & nonnunquam ipſa febris, per intemperiem calidam, & ſiccam definiri. Febrium differ. petuntur, vel ab illarum eſſentia, vel ab iis quæ huic accidunt, vt docet, 1. cap. lib. 1. de diff. febr. ratione eſſentiæ trifariam diſtinguuntur, primo ſecundum maiorē, & minorē intenſionē caloris febrilis, ſecundum quam, aliæ ſunt vehementiores aliæ mitiores, prout à cauſa vehementi, vel mitiori dependent.

Diui-

Diuiduntur deinde reſpectu materię in qua calor accenditur, in ephemeram, humoralem & hecticam, prima ſpiritus, ſecunda humores, & tertia ſolidam cordis ſubſtantiam, tanquam ſubiectum inhæſionis obſidet: dixi tanquam ſubiectum inhæſionis, quoniam denominationis ſubiectum ſemper pars eſt, & quamuis febrilis calor ſpiritibus, & humoribus inhæreat, non tamen dicuntur ſpiritus, & humores febricitare, ſed ipſa pars, in qua continentur. Si in hac ſolutione non acquieſcat animus: dic febris ſubiectum adæquatum eſſe totum corpus, ex triplici dicta ſubſtantia conflatum, principale vero eſſe ipſam ſubſtantiam, quæ alterata eſt, & calefacta, ſeu quod eodem redit, cui ineſt calor febrilis in facto, cuiuſmodi eſt ſpirituoſa in ephemera, humoralis, in humorali, & in hectica: ſolida, clarius in ephemera ſubſtantia ſpirituoſa calefacta eſt, humoralis, & ſolida calefit: in humorali, humoralis habet calorem in facto, ſolida in fieri: in hectica calor eſt in facto in ſolida, in fieri vero in humorali, & ſpirituoſa: hoc eleganti exemplo illuſtrat Gal. loco proximè citato, vbi hecticam exemplo aquæ frigidę, lebeti calido infuſæ, & ab eodem calefientis, humoralem con-

tra, aquæ calidæ lebeti frigido infuſæ, eundemque calefacientis, & ehpemeram aeris calidi calefacientis, quibus attrahit folles repreſentat: & quamuis ſubſtantia ſpirituoſa, ob maiorem partium tenuitatem, facilius quam humoralis, & hæc quam ſolida flammam concipiat; fieri tamen poteſt, ob vehementiam cauſæ quæ non agit, niſi in materiam reſiſtentem, & proportionatam, vt hectica fiat incipiendo, accendaturque calor febrilis in ſubſtantia ſolida, nulla præcedente humorali, aut ephemera: eodem planè modo, quo videmus tonitru frangere enſem, intacta theca, & liquefacere argentum, nulla communicata marſupio labe: verum quidem eſt, hecticam frequenter putridis, & ephemeris malè curatis ſuccedere, nec vnquam fit ab initio, niſi à cauſis procatharticis, à quibus quoque ſemper accenditur ephemera, vt conſtat cap 7. *1.* de diff. febr. & in hoc vtraque à putrida diſtinguitur, quæ abſque omni prægreſſa cauſa, contingere poteſt: vtpote à morboſo apparatu in corpore latente, qui quidē aliquādo ſua ſpōte, aliquando ab externo aliquo incitatus, in actū erumpit, febremque parit variam, & multiplicem, pro varia, & multiiugi redundantis, & pec-

cantis humoris ratione: hinc febres ſanguineæ, pituitoſæ, biliosæ, & melancholicæ, ad quarum pleniorem notitiam tertia exponenda eſt eſſentialis febrium diuiſio παρὰ τρόπον τῆς κινήσιος à modo quo mouentur deprompta, ſecundum quam variæ illarum reperiuntur differentiæ; primum enim à motus celeritate, & tarditate diſtinguuntur in acutas, quæ citò ſua percurrunt tempora, & in chronicas longas, ſeu lentas, quæ tardè mouentur, atque non niſi longo tempore terminantur: deinde ex motus continuitate, & intermiſſione, aliæ ſunt συνεχεῖς continuæ, aliæ διαλείποντες, ſeu intermittentes: hæ antequam ex toto finiantur ad ſenſibilem perueniunt ἀπυρεξίαν, illæ continuò, & ſine vlla intermiſſione affligunt. Continuarum rurſus aliæ remiſſionem habent, ſeu mitigationem quandam, & vocantur ſimpliciter continuæ, aliæ contra omnem remiſſionem, & mitigationē reſpuunt, & συνοχοί nominātur, latinè continentes, ſuntq; in triplici differentia: aliæ enim ὁμοτονοι dictę eumdē ſeruant vigorē ab initio ad finē vſq; quoniā quod ſubinde accēditur ęquale eſt ei quod difflatur: aliæ ſunt παρακμαστικοὶ & ſenſim declinantes, quia plus cōtinuo difflatur, quam ſubinde accenditur, aliæ contra ἐπακμαστικοὶ appellatę, paulatim

vſque

vſque ad criſim augentur, quoniam plus ſub-inde accenditur quam diſſipatur. Porro ſi febres iſtæ ſynochi, citra humorum putredinem accidant, ad ephemerarum genus referendæ ſunt: fiunt enim ex humoribus omnibus, vel quod idem eſt ex maſſa ſanguinea, ſine putrefactione, ab aliqua procatharticarum, quæ ephemeras generare ſolent incaleſcente, vocanturque ſynochi non putres, vt & putres, ſi fiant cum æquali totius maſſæ putredine: & hæc cauſa eſt cur febris in ephemeram, putridam, & hecticam vulgò diuidatur. Cæterum ſi vnus humor aliquis particularis putreſcat, febris non continens, ſed contiua, vel intermittens oritur: hæc ſi extra maiora vaſa, illa ſi in iiſdem, iis præſertim, quæ inter alas & inguina excurrunt fiat putredo, vnde quotidiana ex pituita, tertiana ex flaua bile, & ex melancholia quartana, quæ omnes vt iam dixi continuæ ſunt, cum humores in venis maioribus putreſcunt, interpolatę vero quando procul à corde, & extra dictas venas putredinem concipiunt; nempe pituita in ventriculo, melancholia in ſplene, & bilis flaua circa hepar, hæ enim mineræ, & foci intermittentium febrium ab authoribus, Gal. potiſſimum 1. ad Glauc. cap. 5.

con-

conſtituuntur, in quibus materia præcedentis paroxiſmi cauſa citius abſumitur, quam noua affluens, ſecundam exacerbationem inchoare poſſit, ideoque febres procreat interpolatas, & inter finem præcedentis, & initium ſequentis paroxiſmi, puram admittens ἀπυρεξίαν: conſumpta enim, & diſſipata materia quæ putreſcens ἀναθυμίασιν & euaporationem putridam in cor eructauit, febris ceſſet neceſſum eſt, quo ad nouæ materiæ appulſu, & putrefactione ſequens accendatur paroxiſmus: at intermiſſio hæc in eas non cadit febres, quæ ex humore in venis maioribus putreſcente generātur: in quibus materia poſteriorem excitatura exacerbationem citius affluit, quam diſcuti poſſit, quæ priorem faciebat paroxiſmum, idque tum propter qualitatem, & quātitatē: craſſior enim, & copioſior eſt in his, quam in intermittentibus, & per conſequens, difficilius abſumitur, & diſſipatur, tum propter venarum, & arteriarum quibus continetur denſitatem, qua humoris impeditur euacuatio, tum propter expultricis imbecillitatem, quæ maior eſt in vaſis iſtis, quam in aliis partibus; cum membra ſint frigida, & ſicca, atque materiæ continendæ, & deferendæ potius quam excernendæ dicata,

ta, tum ob maiorem cum corde viciniam, & communionem. Duplex hic perelegans agitari ſolet quæſtio, vna eſt, cur non ex ſanguine intra, & extra venas putreſcente, æque bene quam ex reliquis tribus humoribus generetur febris typica, cum ſanguis non minus quam illi proprium, & naturalem habeat motum. Altera eſt quæ ſit circuituum, & periodicationum, vt loquuntur, in febribus cauſa. Quod ad prioris deciſionem attinet ſecundum mentem Gal. cap. 12. lib. 2. de cris. ſanguis quamprimùm putreſcere incipit, in alios degenerat humores, nec poteſt ſub forma propria qualitate peccare, inſigni ſaltem, & quæ nomen morbi mereatur; quoniam illius temperatura in sũma mediocritate, omnium qualitatum, caloris præſertim, & frigoris conſiſtit. Generatur ſiquidem, vt patet ex loco iam citato, ex calore moderato, qui mediocritatem excedens, ipſum ſanguinem, in flauam, & atram bilem conuertere ſolet: illam ex tenuiori, leuiori, & vnctuoſa magis ſanguinis parte, hanc ex craſſiori, & terreſtriori eiuſdem portione procreans. Si quis obiiciat, ſynochum, & phlegmonem, morbos eſſe ex ſanguine ſecundum qualitatem peccante. Reſp. in

ſyno-

Digitized by Google

ſynocho putre, totam maſſam putredinem ſubire, non autem particularem aliquem humorem. In flegmone autem, ſanguis non tam qualitate, quam quantitate, & motu peccat; extrauaſatur enim, & in loco ad quem affluxit corrumpitur, propriamq; ſuã ſtatim amittit naturam, vt docetur aph. 20. ſect. 6. & hæc cauſa eſt, cur ex ſanguine extrauaſato, non generentur febres intermittentes, & eſſentiales, vt loquuntur, ſed continuæ potius, & ſymptomaticæ, quæ ad partium inflammationes, qui morbi ſunt conſequi ſolent, cuiuſmodi ſunt quæ pleuritidem, peripneumoniam, & hepatitidem concomitantur. Poſſumus etiam reſpondere phlegmonem non generari ex ſanguine, ſumpto pro 4. humore, ſed ex ipſa maſſa ſanguinea, in qua prædominante ſanguine ſi debita illa, & antiqua ſeruatur quatuor humorum proportio. Iam poſterior explicanda venit quæſtio, quæ ardua admodum eſt, & plena difficultatis: nõnulli enim cauſas circuituum, ad proprietatem contractæ putredinis, in vno quoque humore referunt, vt Fernelius lib. 4. pathol. cap. 10. alij vt Arabes omnes ad occultam proprietatẽ, & humoris cuiuſq; ἰδιοτροπίαν

E vtra-

vtraque vero ex eo refellitur, quod plures ſint circuitus, quam humorum ſpecies: præter enim quotidianum, tertianum, & quartanum: dantur quintanus, ſextanus, & ſeptimanus, & reliqui ejusmodi. Idcirco multo rectius Gal. cauſas haſce, ad materiæ quantitatem, & qualitatem reducit: nam vt ſuperius docuimus, fit exacerbatio ex affluxu nouæ materiæ putreſcentis ad locum, vbi fomes febris continetur, vt & intermiſſio ex eiuſdem diſſipatione antequã noua affluat, adeo vt quo facilius putreſcit humor, copioſiorq; affluit ad fomitis locum eo fræquentius repetant exacerbationes. Ideoque pituita quotidie, bilis flaua alternis diebus, & melancholia de quarto in quartum diem febrem accendit, nam vt ait Gal. ne miremur, ſi non eodem temporis ſpatio, omnis generis excrementoſi humores coaceruentur, quia enim neque ſanguis qui pro nutrimento ad ſingulas partes fertur, vbiq; ſimilis, neque conſtitutio partium quę nutriuntur eadem exiſtit. Idcirco alteri, atque alteri febricitanti, aliud, atque aliud tempus ſufficit, ad tantam excrementoſi humoris coaceruationem, quæ putreſcens febrem accendit, nec inde ſequitur ex vno eodemque humore, prout maiori, vel minori

quan-

quantitate cumulatur, quamlibet poſſe generari febrem, quoniam ad circuitum hunc, vel illum efficiendum non tantum quantitas, ſed & qualitas etiam humoris ſpectanda eſt, ſi eos qui ex melãcholia fiunt exceperis quorum varietas a ſola quantitatis varietate dependet: nã vt recte ait valeſius lib. 5 controuerſiarum cap. 25 non vt ex melancholia, cum quantitas tãta colligitur, fit quartana, cum minor quintana: Ita ex pituita, cum quantitas conſueta minor colligitur, fit pro quotidiana, tertiana, & ex bile pro tertiana, quartana, ſaltem perſeuerãter, & cum ordine. Poteſt quidem quantitatis, & qualitatis varietas, in hiſce duobus humoribus efficere febris anticipationem, & retardationem ſed non vltra tempus periodi: at non ita ſe res habet de melancholia, quę ob craſſam, & terreſtrem ſuam ſubſtantiam difficile diſcutitur, nec poteſt vllo modo in aliud genus humoris permutari, ac proinde congeſta in membro remanet, quoad quantitate aucta ſufficiat paroxiſmo excitando. Cum autem alij humores in tam parua congerantur copia, vt non valeãt ſtatis periodis febrem accendere, aut penitus diſſipantur, & euacuantur, aut in aliam tranſmutantur humoris ſpeciem. Oppones ſi

febris melancholica ob humoris paucitatem, vltra conſuetum terminum prorogetur, pari ratione, ob eiuſdem redundantiam, tempus circuitus anteuertere poteſt. Reſp. non ſequi, quoniam; & ſi abſentia cõditionis alicuius neceſſariæ effectus productionem impediat; eiuſdem tamẽ preſentia eundẽ nõ neceſſario producit: & ratio eſt quia ad perfectionẽ, & cõſtitutionem alicuius rei, omnes conditiones neceſſario cõcurrunt, v. g. ad ſanitatem conſtituendam in parte aliqua organica, requiritur euoraſia partium ſimilarium, è quibus conſtat ipſius organi legitima conformatio, & naturalis continui vnio: ad eiuſdem deſtructionem ſufficit vnus defectus: euertitur etenim ſanitas, & per intemperiem, & per organi vitium, & per continui ſolutionem. Cum ergo vt ante diximus ad exacerbationem faciendam, non ſolum quantitas, ſed qualitas quoque humorum requiratur, fit vt alterutra horum deficiente, deficiat exacerbatio, non autem producatur, niſi vtraque concurrente: & propterea cum tardè putreſcat humor melancholicus, nec poſſit niſi per moram, mordacem illam qualitatem adipiſci, ad reditum febris efficiendum neceſſariã, nunquam ante diem quartum mouetur, quod

ſi contingat quartana duplex, vel triplex, fit ex diuerſis mineris: vt & duplex quotidiana, & tertiana, & humor ille qui hodiernum parit paroxiſmum, non eodem die congeri cœpit, quo ille qui craſtinæ exacerbationis erit au-thor. Hæc de ſimplicibus febrium differentijs ab eſſentia petitis, nunc de compoſitis dicendũ.

Componuntur febres vel cum alijs morbis, & ſymptomaticæ omnes vt quæ inflammatio-nes conſequi ſolent, vel cum alijs febribus, idque bifariam; aut enim complicantur, quæ ſunt diuerſi generis, vt putrida cum hectica, vel ephemera, aut quæ ſunt eiuſdem, vt putridæ cum putridis. Poſterior hæc compoſitio quadri fariã contingit. Primũ quando miſcentur putri dæ eiuſdẽ generis, cũ putridis eiuſdẽ ſpeciei, vt tertiana intermittens cum tertiana intermit-tente, ſiue hoc fiat per viam confuſionis duo-bus paroxiſmis eadem hora inuadentibus, ſiue per viam complicationis paroxiſmo vno alte-rius augmento, vel ſtatim ſuperueniente, ſiue per viam alterationis, inuadente eodem die poſteriori paroxiſmo, circa declinationem, vel finem præcedentis. Deinde quando iungun-tur febres diuerſi generis, cum febribus eiuſdẽ ſpeciei, vt quotidiana continua, cum tertiana

intermittente, tertio quando febres diuerſi generis vniuntur febribus diuerſæ ſpeciei, vt quotidiana continua cum tertiana intermittente, eſtque hæc vera, & proprie dicta ἡμιτριταῖος quam Hipp. referente Gal. cap. 8. 2. de febrium differen. horridam atque continuam vocat; altera eſt ἡμιτριταῖος minus proprie dicta ex continua tertiana, & quotidiana intermittẽte, & adhuc aliæ ſunt duæ ſpuriæ quas parit quarta complicatio febrium, præcipuè bilioſarum, & pituitoſarum, quæ fit quando febres eiuſdem generis commiſcentur cum febribus diuerſæ ſpeciei, v. g. tertiana continua, cum quotidiana continua, vel tertiana intermittens, cum quotidiana intermittente. His iiſdem similiter miſceri poteſt quartana.

Porro quod dictum eſt de febribus eiuſdem ſpeciei, id ipſum intelligere oportet de febribus diuerſæ ſpeciei, eas videlicet commiſceri vel per viam confuſionis: complicationis, vel ſubalternationis. Gal. loco citato tantum cõfuſionis, & complicationis meminit, ſubalternationem ſub complicatione comprehendens; quoniam in vtraque, non eadem ſed diuerſis horis, plures inuadunt paroxiſmi. Et hæc breuiter de febrium differentijs ab eſſentia deſum-

ſumptis, tam ſimplicibus quam compoſitis; ab accidentibus vero multiplices, & variæ, reperiuntur; vt ſalſuginoſæ, aſpectu terribiles rubræ pallidæ, liuidæ, ἀσσώδεις, ideſt cum inquietudine coiunctæ, malignæ, malignitatis expertes, & id genus aliæ a varijs affectibus quos in ægrotantibus excitant petitæ.

CAPVT XIV.

DE TEMPORIBVS MORBORVM.

TRactatum hunc de morborum temporibus in poſtremam diſtulimus Pathologiæ partem, eundemque doctrinæ de febrium differentijs poſtpoſuimus; quoniam ſi tumores præter naturam exceperis, in nullis morbis, magis quam in febribus Eluceſcit tẽporum diuerſitas; cuius mehercle cognitio tam ad curationem inſtituendam, quam ad certam ſtabiliendam prognoſim, perutilis eſt, & neceſſaria ad hanc, quoniam vt docetur cap. 5. lib. de criſib. prædicturus ſalutem vel mortem, debet prius magnitudinem morbi, naturæ robur, & futurum ſtatum inueſtigare, adde quod morbi motus, ſine cuius notitia nulla pro-

gnoſis

gnoſis inſtitui poteſt, & eiuſdem temporibus menſuretur, & ex principij longitudine, vel breuitate, reliquorum temporũ durationem, ac morbum fore breuem, vel longum coniecturemus: ad illam, quoniam pro temporum diuerſitate, & victus ratio, & remediorum vſus variatur, aliter etenim nutriendi ſunt ægri in principio, aliter in ſtatu, & aliter in declinatione morbi, in quibus diuerſimode, diuerſiſque vtendum eſt remedijs, vt fuſius poſtea declarabitur. Nunc vt rem hanc certo perſtringamus ordine, quid per morborum tempora ſit intelligendum, quæ nam ſint eorundem differentiæ, & quis vſus paucis expediemus.

Morborum tempora, nunc partes morborum, nunc eorumdem ætates, nunc cauſarum motiones appellat Gal. lib. de morbor. temp. & lib. de optim. ſect. & iure quoniam nihil aliud ſunt, quam mutationes, ſeu progreſſus ſpecie differentes, quib. varie afficiuntur ægrotantes, a principio ad finem morbi, eodem ferè modo, quo ætatum decurſu viuentia, idque potiſſimum ob actionem, & pugnam inter naturam, & morbum. Dixi mutationes iſtas eſſe ſpecie diuerſas, quoniam quæ per magis & minus ſolum differunt, non diuerſa conſtituunt

mor-

morborum tempora, vt cernere eſt in augmẽto, in quo coctionis augentur ſigna, ſimul & ſymptomatum vehementia, idque non citra ſenſibilem immutationem: toto tamen illo tempore morbus eſſe in augmento dicitur; & hæc eſt ratio cur tempus inæqualitatis, in quo fit tranſitus à frigore, horrore, vel rigore ad calorem in febrium acceſſionibus, tam à principio, quam ab augmento diſtat, iuxta Gal. quinqueq; conſtituantur in intermittentibus, imo & in continuis cum anadiploſi paroxiſmi tempora, principium ſcilicet, tempus inæqualitatis, augmentum, ſtatus, & declinatio, quibus periodus, ſeu circuitus in intermittentibus 6. addit tempus, ſcilicet quietis, ſeu interuallum inter duos paroxiſmos, quod Græci *διάλειμμα* vocant, ſeu tempus apyrexias, quod in continuis non reperitur, in quibus tempus remiſſionis, ſub tempore declinationis continetur.

Principium acceſſionis eſt illud tempus quo paroxiſmus inuadit cum frigore, horrore, vel rigore, vel ſaltem vt vult Gal. cum maiore celeritate, & vehementia contractionis, quam dilatationis arteriæ: quod quidem tempus plerumque à vulgo Medicorum non anima-

Digitized by Google

duertitur, quando ſcilicet febrilis calor citra ſenſum frigoris, horroris, & rigoris repetit, ſtatimq; incipit augeri, in quo etiam caſu, non ſe prodit tempus inæqualitatis, ſeu tranſitus à frigore ad calorem, in quo variè iactantur corpora dyſphoria, ſeu inquietudine, vomitu, aliiſq; grauioribus ſymptomatis fatigata, & in quo vomitus potius promouendus eſt, quam ſiſtendus; nec inutiliter propinatur hoc tempore Iulepus ex ſyrupi acetoſi, & ſyrupi de cichoreo ſimpl. ann. onc. j. aquarum borag. & acetoſæ ann. onc iij. quem multi pro ſecreto habent, quia vomitum promouet, & paroxiſmum reddit leuiorem. In augmento, calor ſenſim accreſcit, verum in hoc tempore, vt in principio, à frigidæ potu abſtinendum. In ſtatu citra accretionem, & diminutionem, in eodem vigore conſiſtere videtur, quo tempore indulgendum eſt frigidę potioni, vtendumque epithematibus, & fotibus ſuper regione cordis, & hypocondriorum, à quibus quidem, ante vigorem abſtinendum eſt, quoniam fuliginoſæ materiæ tranſpirationem impediunt, eodem planè modo, quo ſacculi madentes camino ſuperpoſiti, fumi per caminum euaporationem. Ideoque culpandi ſunt medicaſtri,

qui

qui in principio, & augmento tam febrium continuarum, quam paroxiſmorum, epithemata hæc liquida præſcribunt, magis ſolliciti de lucro Pharmacopeorum, quam de ægrorum ſanitate. In declinatione remittit calor febrilis, & ſæpe numero ſudorum interuentu, vel diarroea, vel vrinarum effuſione, & tãdem in apyrexiam deſinit, ſi febris ſit ex intermittentium genere. Verum quia hæc tempora non omnibus morbis conueniunt, ſolent authores morborum tempora, tam vniuerſalia quibus totius morbi decurſum, quam particularia, quibus ſingulas acceſſiones (quæ deterriores ſunt periodi partes) metimur, in quatuor partiri; principium ſcilicet, augmentum, ſtatum, & declinationem; & vnumquodq; horum rurſus in principium, medium, & finem. Porrò vniuerſalia morborum tempora non dierum numero definienda ſunt; vt docet Gal. ex eo quod alii citius, alii tardius terminantur; quod non contingeret, ſi certo definirentur dierum numero morborum ætates. Loquor hic de morbis, qui omnia ſua percurrunt tempora, & quibus ægri fœlici cum ſucceſſu defunguntur, non enim de illis qui in augmento, aut in ſtatu perimunt. Vt rem hanc tenuiori pertracte-

mus lima de temporibus vniuerſalibus ſeorſim dicendum eſt, & primum de principio: cuius duplicem reperio acceptionem apud Gal. vna primum morbi complectitur inſultum, qui in ἀδιαιρέτῳ & veluti in puncto indiuiſibili conſiſtit ac proinde ἀπλατὴς, ſeu latitudinis expers nominatur: Altera eſt principii latitudinem habentis, quod rurſum duplex eſt, vnum artificioſum, alterum expers omnis artificii: hoc primis tribus diebus, propriéq; primo circuitu circunſcribitur: illud totum morbi continet decurſum, quo omnia cruda apparent. Horum vnumquodque ſuum proprium habet in arte vſum: primum ſiquidem ſupputationi dierum criticorum ab eodem vt pote inchoandæ inſeruit: Secundum euacuationibus inſtituendis eſt idoneum; venæ ſectioni ſcilicet, & purgationi, quæ iuxta Hipp. ſent. in acutis circa initia celebrari debet, præſertim ſi materia turgeat, & ſi primo hoc trium dierum ſpatio non ſe prodat incrementum morbi ſignis coctionis, alioqui de principio proprie dicto, & artificioſo intelligi poteſt dictum Hipp. quod quidem ad medendi rationem maximi momenti eſt, & ponderis: vt colligere eſt ex Gal. cap. 3. lib. 9. Meth. vbi ſynochi febris duo magna pro

po-

Digitized by Google

ponuntur remedia, phlebotomia, & frigidæ potio, hoc vſurpanda diſcrimine, venæ ſectio omni tempore celebrari poteſt, ſi vires ſint ferendo; at frigidæ potio concedenda non eſt, niſi quando ſigna concoctionis apparent in vrinis, & in pulſibus, hoc eſt in augmento morbi, & poſt elapſum principium, quod tempore cruditatis definitur: vnde patet quam longè à doctrina Gal. recedit vulgus practicantium, qui ſtatim ab initio frigidæ præſcribunt potionem, & ſanguinem non niſi in morborum principiis detrahunt: verum hic error ſaltem de ſanguinis miſſione, iam à celebrioribus huius regni academiis cœpit exulare.

Morbi principium ſequitur incrementum, initium ſumens à prima ſignorum coctionis apparitione, totumq; illud tempus complectitur quo morbus vires acquirit, intenditur, & veluti eleuatur: Græci αὔξησιν, ἐπίδοσιν, ἀνάβασιν appellant, vt docet Gal. non procul à principio lib. de morborum temporibus.

Vbi autem morbus ad ſummum peruenerit vigorem, neq; vlteriorem, neque adhuc remiſſionem admittens, conſiſtere dicitur, & ſtatum ſeu vigorem obtinere, in quo omnia vigent, grauiſſimaq; inter morbum, & materiam

conſi-

conſiſtit pugna, quæ diu citra victoriam alterius conſiſtere non poteſt: in hoc tempore victus tenuis admodum eſſe debet, ne eiuſdem copia grauetur natura, & ad πέψιν conuerſa, à πεπασμῷ, & criſi auocetur, ideſt ne conuerſa ad aſſumptorum ciborum concoctionem, inchoatam cauſæ morbificæ relinquat edomationem: Vnde aph. ille 9. ſect. 1. Cum efflorescit morbi ſtatus, cumq; ille viget maximè tunc tenuiſſima diæta neceſſe eſt vti: quod intelligendum eſt, quando vires opprimuntur materiæ copia, & agitatione; non enim vbi ab exhauſto laborat: in hoc enim caſu victus plenior inſtituendus eſt, ideoq; Hipp. in lib. de victus ratione in acut. In pleuritide quando expectoratio vigorem anteuertit, victum ſuadet pleniorem, eundemq; liberaliorem quo plenius expectoratur: Et Gal. cap. 5. lib. 10. meth. non procul à calce, vult virium imbecillitatem tanto victum expoſcere pleniorem, quanto tenuiorem requirunt inflammationes internæ, ſolamq; ſalutis ſpem pleuriticorum, peripneumonicorum, & angina laborantium in conſeruatione virium eſſe poſitam; quoniam hi expectoratione iudicantur, quæ ſine virium robore perfici non poteſt: in hoc enim tempore

Digitized by Google

re cauenda ſunt remedia, quæ naturam fatigant, aut ab inchoato reuocant opere: Incipientibus morbis inquit Hipp. ſi quid mouendum eſt moue, conſiſtentibus melius eſt quieſcere. Vincente natura, declinat morbus, vltimumq; tempus occupat declinatio dicta, in qua ægritudo diminuitur: quo tempore, ad reliquias morbi tollendas, quę recidiuam facere ſolent, vtendum eſt purgatione, aliiſq; euacuationibus neceſſariis, & corpus victu conuenienti, & remediis analepticis reficiendum; imo ſi criſis facta fuerit perfecta, à remediis præſertim euacuantibus abſtinendum, & victu debito reficiendum eſt corpus iuxta aph. 20. ſect. 1. Quæ iudicantur, & iudicata ſunt perfectè ne moueto, neq; innouato, ſiue purgantibus medicamentis, ſiue aliis irritamentis: ſi vero in ſtatu morbi, natura vincatur; interit æger, nec declinare poteſt affectus, quia lethalis eſt, & nemo vnquam in declinatione moritur, ſaltem vi morbi declinantis; nam vt ait Gal. lib. 3. de criſibus cap. 5. elapſo ſtatu nullum eſt mortis periculum; nec ſi quoſdam in declinationibus periiſſe viſum ſit, ob id æſtimandum eos merito morbi declinantis concidiſſe, ſed ſuo ipſorum potius, vel Medicorum

erro-

errore, non vi morbi; quì enim fieri poteſt vt cum natura præterito ſtatu ſuperior euaſerit, morbum debellarit, vehementioribuſq; eiuſdem reſiſterit conatibus, victrix tandem & triumphans ſuccumbat: non tamen negandum eſt errore vel Medicorum, vel ægrorum, vel eorum, qui ægris ſubminiſtrant, morbum in declinatione poſſe recrudeſcere, vel nouum ſuboriri, qui laborantem e medio tollat; quod non declinationis merito, ſed errorum, vel ſuperuenientis morbi culpæ aſcribendum. Sic declinante febre quartana, ſuperuenit interdum hydrops ob viſcerum obſtructiones, hepatis præſertim, malè curatas; vnde moriatur æger neceſſe eſt, quamuis quartana, vt & omnis febris intermittens per ſe ſecura ſit, & periculi expers, potiſſimum vero in declinatione. Hinc patet morbos omnes ſalutares, & quibus ægri bonis ſuis rebus defunguntur quatuor per currere tempora: pernicioſos enim, & lethiferos, priuſquam perueniant ad declinationem interficere; in ſtatu præſertim, & in augmento. Verum quidem eſt in omnibus morbis tempora non conſiſtere penes cauſarum motiones; ſed quod idem eſt non à cruditatis & coctionis ſignis repeti; hoc enim contingit ſolum

lum

lum in morbis materialibus,in quibus materia cauſa morbi naturæ faceſſit negotium. Vincitur tamen, vt iam dixi, in ſalutaribus; vincit verò in lethiferis. In aliis vero, tempora metimur morborum, vel ſymptomatis, quorum vehemẽtia circa principia remiſſior exiſtit; poſtmodum increſcit vſq; ad ſtatum, in quo in eodem veluti perſeuerat tenore; a ſtatu vero ad finem vſq; declinat, vel ipſius morbi eſſentia, quæ cum qualitas ſit, ſuum habet principium, ſtatum, & declinationem, vt manifeſtum eſt in ſingulis morborum generibus: intemperie ſcilicet, mala conformatione, & ſolutione continui, quorum vnuſquiſque incipit, accreſcit, conſiſtit, imo & declinat, ſi curabilis ſit, & ad ſalutem terminetur. Febres Synochi, ſeu continentes licet ratione motionis cauſarum, ſeu quod idem eſt penes cruditatis, & coctionis indicia, ſua percurrant tempora: ſecundum tamen ſymptomatum vehementiam, vel ſemper vigẽt, vt ὁμότονος πυρετὸς vel ſemper creſcunt, vt ἐπακμαστικὸς, vel contra ſemper declinant, vt παρακμαστικὸς. Cœterum morborum tempora, vt iam diximus, à motione cauſarum petita, in morbos quadrant pręſertim humorales; alii enim morbi penes eſſentiam, & motum ſymptomatum ſua tempora putantur

Digitized by Google

obtinere, quæ morbis quoq; humoralibus non denegantur, ſed in illis nō ponūtur diuerſa ab iis quæ à cauſarum motione repetuntur: cum ad eandem conſequi videantur: vt manifeſtum eſt in motu ſymptomatum, qui circa initia, & cruditatis tempore mitior apparet, poſtea vero creſcente morbo capit incremētum, eodemq; conſiſtente conſiſtit, & declinante declinat.

S

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium: quæ in Phyſiologia, ac Pathologia continentur.

A

Actio quid & quotuplex pag. 76 77.
Actionis, & vſus diſtinctio ibid.
Actio officialis ad propagationem ſpeciei duplex 85.
Actionis abolitæ cauſæ ad tres fontes reducũtur 185.
Actio deprauata varijs modis accipitur 181.
Actio imminuta cur non dicatur actio deprauata, vt actio aucta ibid.
Actionum læſiones trifariam contingunt 179.
Actionis animalis, & naturalis differentiæ ibid.
Aetatũ differentiæ 37. cur in prima ætate omnia ſunt humidiora quam in cæteris 38.
Aer ventilatione, & motu, quomodo euadat frigidior 164.
Affectus proprie dictus quid ſignicet 100.
Affectus apud medicos triplex acceptio ibid.
Affectus frigidi quomodo promaneant ex immoderato calidorum vſu 166.

Digitized by Google

Affectns, affectio, & effectus quomodo diſtinguantur inter ſe 112.
Alteratio quæ deprauat actionẽ, quæ diminuit 186.
Alterationes leues neque voluptatem, neque dolorem procreant 194.
Alteratio cauſa immediata ipſius doloris 197.
Anima in brutis educitur e potentia materiæ 88.
Animi pathemata in cerebro, & corde 74.
Argenterij argumentum, quo probat neque ab alteratione, neque à ſolutione continui fieri dolores, ſimul, & reſponſio 199.
Argẽterij dogma de materia morborũ refutatur 150.
Argenterij argutijs circa doctrinam de morbis ſimilaribus reſpondetur 124.
Ariſtoteles quaternarium elementorum numerum quadruplici motu, & quadruplici primarum qualitatum combinatione confirmat 20.
Auerrois medicinæ definitio 8.
Auerrois, & argenterij de ſolutione continui contrariæ ſententiæ 133.
Vtraque refellitur, & vtriuſque rationibus reſpondetur 135.
Audibilia ſymptomata ex qualitatum immutatiorũ numero non ſunt, vt exiſtimant nonnulli 182
Audibilia cur inter affectuum differentias ponat Galenus ibidem.

Audi-

Digitized by Google

Audibilia ad quod genus ſymptomatũ referãtur ibid.
Auicenna quid ſentiat de temperamento 28.
ἀντοψία *quò, & quotuplex 12.*
Automnalis conſtitutio omniũ in ſaluberrima 36.

B

Bilis æſtate dominatur 47.
Bilis mouetur meridie, & in ſecunda quadra diei naturalis ibid.
Bilis non naturalis quinque ſunt ſpecies ibidem.

C

Calor, & frigus cur dicantur qualitates actiuæ: humiditas verò, & ſiccitas paſsiuæ 23.
Carnis duplex ſignificatio 62.
Cauſæ definitio à Galeno tradita 151.
Cauſæ altera definitio ſoli efficienti conueniens 152.
Cauſa efficiens quotuplex ibid.
Cauſæ continentis cur non fecerit mentionem Gal. in lib. de cau. morb. 156.
Cauſa ſine qua non diſtinguitur verè à concauſa, & à cauſa adiutrice ibid.
Cauſa continens datur. reſpondetur ijs omnibus, quæ contra hanc cauſam adferuntur 154.
Cauſa generationis quomodo diſtinguatur à cauſa conſeruationis in morbis 155.

Cau-

Digitized by Google

Cauſarum externarum quatuor genera 157.

Cauſarum quibus læduntur cauitates, & ductus ſex differentiæ 171.

Cauſæ externæ, cur dicantur animi pathemata ſomnus, vigilia &c. cum inſint corpori 157.

Cerebrum omnium membrorum frigidiſsimum, & humidiſsimum 64.

Color à triplici cauſa immutatur 192.

Color flauus cur oculis inhærens in icterico, ab ipſomet icterico non videatur 206.

In Curatione tria ſunt expectanda 178.

D

Diſtributio, & ſecretio non vnius facultatis ſunc opera, & methodicorum 75.

Diſtributio quomodo fiat, quomodo ſecretio ibid.

Doctrina dogmaticorum, quomodo differat ab empiricorum placitis 10.

Doctrina de temporibus morborum neceſſaria à d curationem, & ad prognóſim 223.

Doloris perfecta definitio 201.

Dolorem non eſſe ipſammet ſenſationē probatur 203

Dolor an ſit ex numero actionū deprauatarum 180.

Doloris nomen quadrifariam vſurpatur 193.

Dolor, & voluptas externorum ſenſuum ab ipſis ſenſibus externis percipiuntur 204.

Dolor

Digitized by Google

Dolor fiat ne ſolum receſſu à ſtatu naturali 195
Dolor, & voluptas quæ ex ſenſibus oriuntur ab ipſorum ſenſuum operationibus diſtinguuntur 204
Dolores quomodo mitigentur aquæ tepidæ, lactis, & ſimilium affuſione 205.
Dolor formaliter eſt paſsio, & ad tertiam qualitatis ſpeciem pertinet ibidem.
Duo ad hoc vt fiat dolor neceſſariò requiruntur 194
Doloris propria ſignificatio ibid.
Difficultates tres afferuntur aduerſus doctrinam de dolore 201.
Reſponſiones authorum circa prædictas difficultates reijciuntur 202.
Dictis tribus difficultatibus fit ſatis 208.

E

Elemētū quid, & eiuſdem definitionis explicatio 19
Elementa quatuor corporis noſtri compoſitionem ingredi varijs confimatur argumentis 20.
Elementa chimiſtorum refutantur, & eorum obiectionibus tacitè reſpondetur 21.
Cur in extremis elementis qualitates actiuæ ſint intenſiſsimæ 24
Empedoclis circa mixtionem elementorum error 26.
Error Democriti circa eandem mixtionem ibid.
Experientia quid, & quotuplex 10.

Fa-

Digitized by Google

F

Facultas quid ſit 69.
Facultates cur tres conſti tuantur a medicis ibid.
Facultates animales, naturales, & vitales à ſe inuicem eſſe diſtinctas non ſufficienter probant authores, 70.
Facultates prædictas quomodo diuerſas eſſe probet Galenus, 71.
Illuſtratur Galeni argumentũ duob. exẽplis, ibid.
Facultatis animalis diuiſio, 72.
Facultat. principes nõ diſtinguũtur ſedib. ibid. & 188
Facultatis naturalis diuiſio, 73.
Facultates non læduntur 117.
Febris quid ſit, 210.
Febrium differentiæ vnde petantur, ibid.
Febres ratione eſſentiæ diſtinguuntur trifariam, ibid.
Febris ſubſtituũ denominationis ſemper pars eſt, 211
Febris ſubſtitutũ adæquatum totũ corpus: principale verò pars illa cui ineſt calor febrilis in facto, ibid. Circa ſubſtitutum hoc principale elegans Galeni exemplum, ibid.
Febris hectica nulla alia præcedẽte, quomodo fiat, ib.
Febris putrida tantum, abſque omni cauſa prægreſſa contingere poteſt, ibid.
Febris continens, continua, & intermittens, quomodo oriantur 214.

Febrium

Digitized by Google

Febrium differentiæ ex humorum diuerſitate, ibid.
Febris intermiſsio vnde, & cur non cadat in febres, quæ ex humore in vaſis maioribus putreſcente generantur, 215.
Febrium intermittentium minera, 214.
Febres componuntur dupliciter, 221.
Febres cũ febrribus adhuc dupliciter cõponuntur, ibid.
Febris melancholica cur tempus circuitus anteuertere non poſsit, 220.
Fernelij opinio de cauſis circuituum, 217.
De ijſdem cauſis Arabum opinio, ibidem.
Figurationis perfectæ tempus, 88.
Fluxio quibus incitetur 170.
Fracturæ oſsis quinque ſpecies, 136.
Frigus non ingreditur opera naturæ, 187.

G

Generationis materia ſemẽ, & ſanguis mẽſtruus 86
Generatrix potẽtia virtutes duas habet interiores 87

H

Hepar non eſſe officinam ſanguinis quomodo probet Ariſt. quid reſpondeant Galeniſtæ, 100.
Hippocratis apparens contradictio circa cauſas internas, 162.
Homo non eſt vna ſimplex ſubſtantia, 40.

Humectātia cur præſcribātur in curatione febris, 210
Humores duplices, 42.
Humores quatuor eſſe ſpecie diuerſos probat Hippocrates, 45.
Humores dicuntur calidi, frigidi, humidi, & ſicci comparatè, & non abſolutè, 47.
Humor vnuſquiſque quo tempore dominetur, ibid.
Humorū naturalis conſtitutio à quibus procedat, ibid.
Humor melancolicus quomodo homines reddat ingenioſos, 50.
Humores ſecundarij quomodo fiant, 51.
Humidum radicale quid ſit

I

Ignis, quomodo ex attrita generetur, 165.
Indicatio quid ſit, 13.
Indicatio duplex in vniuerſum, 15.
Intemperiem dolorem nullo modo ſequi obiectio, nec non reſponſio, 200.
Intenſio, & remiſsio duplex, 18.
Inteſtinis qoomodo inſit chili conficiendi potentia, 82.
Iuuenes ſint ne pueris calidiores, mareſue fœminis, 29

L

Lien cur non ſit admodum craſſus, cum ex ſanguine craſſo, & melancholico nutriatur, 65.

Me-

Digitized by Google

M

Medicinæ definitio a nomine, 7.
Medicinæ perfecta definitio, 8.
Medicinæ totius diuiſio e 9.
Medici à quo petant diſtinctionem temporum, 36.
Medici per naturale, & nonnaturale quid intelligant, 109.
Medici præter, & contra naturam confundunt, ibid.
Medicus ſenſibilis artifex, 123.
Membra cur non bene iungantur, 174.
Mēbra quibus modis e proprio dimoueātur loco, 473
Menſes coniunctionis in partu ſupputantur 89.
Mixtioni quæ ſint neceſſaria, 26. 27.
Mixtio quot modis conſideretur 27.
Morbi definitio, 114.
Morbus quomodo diſtinguatur à cauſa, & à ſymptomate, ibidem.
Morbus omnis etiam permanens ſucceſsiuus, ibid.
Morbus, & ſanitas nō ſunt ex relatorū numero, 117
Opinio Fernelij conſtituentis morbos totius ſubſtantiæ damnatur, 122.
Morbus cur parti accidere nequeat, 114.
Morbi organici quatuor ſpecies, 127.
Morbus magnitudinis, quomodo diſtinguatur à morbo in numero, 131.
In affectibus magnitudinis non neceſſario læditur figura, ibid.

Partes ſpermaticæ in quibus differant à carnoſis, 56.
Partes organicæ reuera nõ apponũtur ſimilaribus, ibi.
Pars ſimilaris quædam cõſtituitur in quolibet organo præcipua actionis cauſa, ibid.
Partium inſtrumentariarum differentiæ vnde ſumantur, 58.
Partes ſpermaticæ quomodo generentur, 61.
Partes ſpermaticæ, cur iuuentur à calidorum, & lædantur à frigidorum vſu, ibid.
Partes ſimilares ſolo temperamento inchoant, & perficiunt actionem: nec vllo alio indigent ad actionis perfectionem, 124.
Peſtis verum ſignum, 145.
Peridiocationum, & circuitum in febribus, quæ ſit cauſa, 216.
Phlegmo non generatur ex ſolo ſanguine, 217.
Philoſophi quid intelligant per naturale, & non naturale, 108.
Phiſiologia vnde dicature, & quid præſtet, 9.
Pinguedo, adeps, & ſeuum cuius temperamenti, 63.
Pituitæ non naturalis quatuor ſpecies, 49.
Pratticæ medicinæ diuiſio, 10.
Principium ſucceſsionis quid, 225.
Proportio inter tempus figurationis, tempus motus, & tempus excluſionis, 88.
Pulmo non eſt natura humidus, 65.

Digitized by Google

Pulſus quomodo diſtinguatur à reſpiratione, 80.

Q

Qualitatum ſecundarum differentiæ, 66.
Quæcunq; concreſcunt à frigore non ſunt frigida, 63.

R

Res quot modis dicantur calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ, 35.
Res naturales ſeptenario cõprehendũtur numero, 102. *pulcherrima ibidem iuxta epicureos conſideratio.*
Riolani ſenſibus accommodata ratio ad elementotorum quaternarium numerum probandum.

S

Sagitta membro infixa, quomodo dicatur cauſa continens, 160.
Sanitas non conſiſtit in actione, 113.
Sanitas quomodo rectè definiatur, ibid.
Sanitatis definitionẽ quomodo inueſtiget Galenus, 112
Sanguis ſub propria ſua forma nõ poteſt alterari, 48
Sanguis vetero præſertim dominatur, 47.
Sanguis mouetur manè, ibid.
Sanguis arterioſi vſus, 99
Secta medicorum florente Galeno tres præſertim, 2.
Siccitas, & humiditas cur dicantur qualitates actiuæ,

Digitized by Google

uæ, paſsiuæ, verò calor, & frigus, 23.

Sitis cur interdum ſine fame, & fames ſine ſiti contingat, 84.

Solutio continui præter naturam partibus ſimilaribus, & organicis conuenit tantum in genere, 138.

Solutio continui, & vnio continui contra naturam non ſunt contraria, 139.

Solutionis continui cur nunquam fecerit mentionem Gal. in perfecta ſanitate definienda, 136.

Spes pleuriticor, peripeumonicor, & angina laborantium in conſeruatione viriũ tantum conſiſtit, 230

Spiritus quid ſit apud medicos, 91.

Spiritus nobis ineſſe quæ confirment, 92.

Spiritus fernelij definitio damnatur, 93.

Spiritus vera deſcriptio, ibid

Spiritus primum animæ inſtrumentum, 94.

De ſpirituũ numero varia & multiplex ſententia, ibid.

In ſtatu indulgendum eſt frigidæ potioni: vtendumq; epitheumatibus, & ſotibus, 226.

Status neuter quid, & quotuplex, 118.

Symptoma quibus differat à morbo, 175.

Differentia inter ſymptomata, naturæ opera, & externos errors, 176. & 177.

Symptomatis tria genera, 178.

Symptomata omnia cur Galenus ad actionem læſam, & immutatam generalem reducat, 179.

Syno-

Digitized by Google

Temporũ vniuerſaliũ principij duplex acceptio, 228
Vſus vtriuſque principij, ibid.
Therapeia debeatur ne ſymptomati, 178.
Tranſitus per medium ab extremo ad extremum, quomodo fiat, 29.

V

Vbi deſinit phyſicus, ibi incipit medicus, 18.
Venarum, & arteriarum conſenſus, 99.
Venis quomodo inſit ſanguinis conficiendi potentia, 82.
Ventriculus nutriatur ne chilo, 84.
Ventriculi ſenſus exquiſitiſſimus vnde, ibid.
Victus cur tenuis eſſe debeat in ſtatu, 230.
Vitia ſecundarum qualitatum ad detrimenta temperiei ſunt reducenda, 125.
Vnio animæ cum corpore à facultatibus, & ſpiritibus dependet, 68.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Pag. 11. αὐτοχεδιον lege αὐτοσχέδιον

pag. 57. ſine interuentu calius vt antea diximus lege ſine interuentu celli, niſi manus, vt antea diximus quod

pag. 87: qucat lege queat pag. 99. obnoxia lege obnoxij

pag. 102. hæpar lege hepar

pag. 128. mætus lege meatus, mætu lege meatu

pag. 132. ἐντεροπεπιπλοκήλην lege ἐντεροπιπλεκήλην

pag. 137. ἀλφιτιδόν lege αλφιτίδον, ἀφαίρεσις lege ἀφαρεσις

ρῆξιν lege ρῆξιν

pag. 149. æphemera lege ephemera

pag. 154. συνεχτικάς lege συνεκτικάς

pag. 164. κινεσιν lege κίνησιν, σῆψιν lege σῆψιν, ἐπισχέσιν lege ἐπισχέσιν, αποῤῥοῆς lege αποῤῥοῆς, τροφὴν lege τροφὴν

pag. 171. lege στενοχορίαν lege στενοχαρίαν

pag. 172. συνηζήσεις lege συνιζήσεις

pag. 221. quotidiana continua, cum tertiana intermittente, lege cum quotidiana intermittente.

Etiam ſi multos errores adhuc reperias, nullum inuenies, quem primo intuitu non agnoſcas arbitror: nec hos imputes meæ negligentiæ: non enim potui omnia attente perlegere: & adeo adhærent memoriæ parentis ſcripta, vt inuentus correctioni, non quod ſcriptum erat, ſed quod ſcribi debuit præcipiti mentis ſupra viſum anticipatione legere mihi videbar.

FINIS.

V. D. Lodouicus Modronus Pœnit. pro Eminentiſſimo, ac Reuerdiſſimo D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Imprimatur.

Fr. Hieronymus Onuphrius Conſult. S. Officij, pro Reuerendiſſimo P. Inq. Bonon.



Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1638.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

…ed by Google

40